DE

ATTRACTIONIS IN GRAECA LINGUA USU

QUAESTIONUM PARTICULA I.

DE ATTRACTIONIS USU AESCHYLEO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XXVIII. MENSIS JUNII A. MDCCCLXVI

XI. HORA

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

RICCARDUS FOERSTER

LUSATUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. WINTER, DR. PHIL.
C. MAYHOFF, DR. PHIL.
C. BUNKE, DR. JUR. UTR.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

PHILOSOPHORUM

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

VRATISLAVIENSI

ORDINI AMPLISSIMO

HAS LITERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Praefatio.

Jam quatuor fere anni sunt quum de notione usuque attractionis qualis in Graeca lingua esset quaerere coepi. Quod suscepisse nunquam me poenituit: quamquam enim hanc rem magnas habere difficultates minime me fugit, tamen summam ex ea voluptatem percepi contigitque mihi quod de natalis soli desiderio dixit Ovidius, ut, quum in tempus aliquod ab opere incohato discessissem, mox nescio qua dulcedine me rursus alliceret nec sui immemorem esse sineret. Ac fuit quum sperarem fore ut universum attractionis usum scriptione persecutus hanc almam Viadrinam valere juberem. Quam spem quum mente conciperem juvenili studio ardens passis vehebar velis nihilque habebam antiquius quam ut quod G. T. A. Krueger*) de lingua Latina, idem ego de Graeca praestarem. Sed non ita multo post vela contrahere coepi, quum in dies magis intellegerem ambitum Graecarum literarum esse majorem quam ut ex iis quem ego vellem fructus facile percipi posset. Accessit quod ea quam Krueger ingressus esset via rem non bene gestam, sed aliter tractandam esse mihi persuasi. Is enim Hermanno auctore attractionem grammaticam esse figuram ratus per dicendi genera diversissima disseminatam varia ejus genera ramorum instar latissime diffusorum colligere ab unaque radice derivare instituit. Unde factum est, ut studio abreptus attractioni regnum constituendi amplissimum ejusque fines quam latissime proferendi mul-

*) Quaestionum, quae ad grammaticam Latinam pertinent, fasciculo tertio qui est de attractionis in lingua Latina usu, Brunsvigae 1827 edito.

tas structuras arriperet arreptasque per attractionem explicaret, in quibus ea aut nulla aut contorta tantum ratione agnosci potest. Sed non solum quod fautor potius quam judex attractionis exstitit, verum etiam illud notandum est, quod temporum spatiis quibus literarum monumenta continentur parum distinctis ratione historica et critica quaerere omisit, quomodo singula attractionis genera orta et pedetentim progressa tam late patuerint, ut partem quasi linguae efficere videantur. Verum de hoc incommodo alias, praesertim quum Kruegero cum plerisque grammaticis commune sit; nunc ut ad causam primariam veniam quae me impedivit quominus jam nunc totum attractionis usum uno libello complecterer: etiam postquam Krueger quaestiones suas publici juris fecit, notio attractionis per grammaticos tantopere dilatata est exstiteruntque de ejus natura tam variae sententiae, ut qui his omnibus accurate excutiendis operam suam navare velit, librum conscribere debeat amplissimum. Hoc vero munus majus esse quam ut nunc quidem umeris meis sustinere possem, non tam praestricta fuit mentis acies ut non intellegerem. Quo magis autem cupiebam enixeque contendebam, ut mox eo munere perfungerer, eo magis in praesens id quidem potissimum consectandum fuit, ut quibus possem praesidiis instructus ad hanc quaestionem absolvendam mihi viam munirem non solum jucundam, sed etiam utilem. Jam optimam muneris administrandi rationem circumspicienti haec unice vera mihi visa est, ut singula attractionis genera apud singulos scriptores qualia fuerint indagarem historiamque quasi attractionis conderem. Atque quum nunc speciminis edendi potestas facta sit, ex multis attractionis generibus id mihi tractandum elegi quod in pronominibus relativis cernitur, sed ne hujus quidem continuum per Graecas literas progressum, sed primordia tantum quae sunt apud Aeschylum persequi hac commentatione mihi proposui.

Prooemium.

Causa quae me permovit, ut attractionis usum qualis in pronomine relativo apud Aeschylum fuerit, exponendum sumerem, haec fuit, quod, unum locum si excipimus quo Epicharmus, Aeschylo ille paulo vetustior, attractione usus est,[2]) incertum illum quidem scriptura, Aeschylus vetustissimus attractionis testis habendus est. Desunt enim ejus de qua nos quaerimus attractionis exempla in carminibus Homericis et Hesiodeis, desunt in reliquiis cyclicorum, Orphicorum, lyricorum, tragicorum Aeschylo vetustiorum, comicorum Atticorum Aristophane superiorum, desunt in fragmentis logographorum, philosophorum qui ante Democritum floruerunt, desunt denique in inscriptionibus ante annum CCCC. compositis. Qui vero primi prosaicorum scriptorum ea usi sunt Democritus, Herodotus, Gorgias Aeschylo aetate fuerunt inferiores. Ex quo efficitur pro certo affirmari posse in literarum monumentis ante bella Persica ortis ejus de qua nos quaerimus attractionis exempla reperiri nulla. Cujus rei causa fuit non quod illius aetatis scriptores attractionem admittere noluissent, sed quia duorum quasi graduum, qui faciendi fuerunt, ut ad eam pervenirent, alterum nondum fecerunt. Nimirum quum Graeci ab

---

[2]) fr. incert. 40 p. 267 Lor. v. 182 ed. Mullach fr. phil. graec. p. 141.
οὐκ ἄρ᾽ ἔμολε πρᾶτον οὐδὲν οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον
τῶνδέ γ᾽ ὧν ἄμμες νυν ὧδε λέγομες;

Libri Diogenis L. (III. 10) exhibent *ὧν*, quod Lorenzius retinuit, Hermannus mutavit in *ὧν* genetivum pronominis rel., ut mihi videtur, recte.

initio sententiarum non *συντάξει*, sed *παρατάξει* uterentur, hoc primum fuit, ut ex demonstrativis sententiis efficerent relativas, unum hoc indicantes quae relativis sententiis contineantur adjungenda esse antecedenti nomini, sed structuras enuntiatorum separatim habentes. Atque hoc quidem dicendi genus inde ab Homero usque ad finem saeculi sexti a. Chr. unice usitatum fuit. Postea vero eo usque provecta est sententiarum junctura, ut per attractionem certis quibusdam condicionibus separatio tolleretur et enuntiatio relativa cum antecedenti nomine conglutinaretur. Unet im cohaerentiam nominis et enuntiationis relativae etiam forma exprimerent, hanc rationem amplexi sunt, ut casum pronominis rel. jam non ad structuram verbi, unde pendet, revocarent, sed quasi partem nominis antecedentis huic assimilarent. Apparet autem, quoniam talis artior conjunctio illud consectarium habet, ut enuntiatio rel. dignitate sententiae per se constantis destituta cum nomine in unum coalescat, attractioni eas tantum enuntiationes rell. aptas fuisse, quae etiam sensus vinculo arto cum nomine conexae facile ad unius notionis formam redigi possent ita, ut structura participiali circumscriberentur. Sed non solum his, verum etiam angustioribus finibus circumscriptus fuit attractionis usus saeculo quinto: admissa enim ea non est nisi in enuntiatione rel. comprehensa verbo activo aut medio, cujus objectum est accusativus pronominis rel. Gliscere coepit post finem belli Peloponnesiaci, quum etiam in tales enuntiationes rell. irreperet quae continentur verbo quod quum proprie dativum regat leni significationis permutatione ita structum est, ut accusativus pronominis rel. supponendus sit, veluti apud Xenophontem Mem. IV., 1, 4, *τῶν ἀνθρώπων τοὺς ἐῤῥωμενεστάτους καὶ ἐξεργαστικωτάτους ὧν ἂν ἐγχειρῶσι* et Aeschin. de fals. leg. § 117 (p. 43) *παρ᾽ ὧν μὲν βοηθεῖς οὐκ ἀπολήψη χάριν.* In verbis quae genetivum regunt haec licentia, quantum equidem novi, nunquam usu recepta est. Denique autem attractio etiam in nominativum se insinuavit, hac tamen lege, ut forma pronominis rel. generis neutrius, forma autem verbi quo enuntiatio rel. continetur, passiva esset, ut in libro qui Hippocratis fertur *περὶ γυναικείων* I. c. 30 (vol. II. p. 561 ed. Ermer.) *ἣν γονὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα σπλαγνώδης ᾖ ὑπὸ παθημάτων ὧν εἴρηται ἐν*

τῇ τὰ καταμήνια ἀφιείσῃ. Sed haec omnia non sólum rarissima, verum etiam ante annum CCCC. omnino non in usu fuerunt, quamquam grammaticos Kruegero[3]) duce vulgo aliter de hac re statuere haud ignoro. Sed hoc nihil ad hanc quaestionem, siquidem loci quibus illi sententiam suam comprobare studuerunt, non ex Aeschylo, sed e Sophocle aliisque quos ille aetate praecurrit, petiti sunt. Apud Aeschylum invaluit unum tantum attractionis genus hoc, ut qui esse debebat accusativus pronominis rel. in genetivum mutaretur. Ac ne hujus quidem usus frequentia sunt exempla ejusmodi, de quibus dubitatio exsistere possit nulla: contra haud exiguus est eorum numerus in quibus sitne attractio statuenda necne e scriptura aut explicatione pendet. Nonnunquam enim viri docti locos tamquam attractionis testimonia protulerunt, in quibus genetivus pronominis rel. aut suo loco positus est aut recte se non habet, sive librariorum errore sive recentiorum conjectura in textum irrepsit. Quid loquar de Elmslejo et Hermanno? qui hoc vel illo loco conjecturam fecerunt, qua probata attractio esset statuenda, parum probabilem. Brunckius[4]) attractionem ut elegantiam sermonis Attici omnibus tragicorum Aristophanisque locis, dummodo per metrum liceret, corrigendo restituere non dubitavit. Sed etiam Wellauer[5]) compluribus locis attractionem deprehendisse sibi visus est, quibus ea agnoscenda non est. Ac ne Krausius[6]) quidem qui singularem de attractionis apud tragicos usu quaestionem instituit, officio suo omni ex parte satisfecit, quippe qui non solum omnes fere locos silentio praetermiserit quibus attractio aut nulla aut dubia est, sed nonnullos etiam neglexerit, in quibus ea non statui non potest. At, credo, ut lex qua Aeschylus attractionis usum adstrinxerit certo inveniatur, ante omnia requirendum est, ut exempla firma congerantur omnia, deinde ut ab his norma petatur, ad quam dirigendum est judicium de iis locis in quibus attractionis est controversia, denique ut ratio attractionis

---

[3]) Cf. De attr. pag 247 sq.

[4]) Cf. ad Soph. Aj. v. 493. ad Aristoph. Thesm. v. 835. Vesp. 907. ad Soph. El. 636.

[5]) lex. Aeschyl. vol. II. p. 111 s. v. ὅς.

[6]) Isid. Krausius de duorum attractionis generum usu apud tragicos. Vratislaviae 1863.

omissae eruatur discrimenque quod inter attractionem admissam et omissam intercedit explanetur. Quamobrem tota haec quaestio tripartita mihi instituenda visa est sic, ut primum vera attractionis exempla proferrem, altero loco ea in quibus attractio aut perperam viris doctis visa aut aperte nulla est, denique ut leges quibus attractionis usus apud Aeschylum tenetur, exponerem.

Caput I.

De locis Aeschyli in quibus est attractio.

Duo licet genera enuntiationum rell. attractarum distinguere, ut duo sunt genera nominum, quorum illae vicibus funguntur, substantiva et adjectiva. Enuntiatio enim rel. attr. aut per concordiam quam dicunt struitur, si substantivo attributi loco additur, aut per rectionem, si non ad substantivum relata, sed per se constans a vocabulo enuntiationis primariae, quod aut nomen aut verbum aut adverbium est, regitur. Prius appellari potest genus attributivum, alterum substantivum: quae nunc deinceps in medium proferam hoc ordine, ut ab attributivo genere incipiam, quod prius et vetustius fuit quam substantivum.

§ 1.
De attributivo genere enuntiationum rell. attractarum.

Quo facilius id quod docere volumus intellegi possit, exempla ipsa in fronte totius disputationis collocemus, quae sunt duo,

Agam. v. 812 (779) [7])

πρῶτον μὲν Ἄργος καὶ θεοὺς ἐγχωρίους
δίκη προσειπεῖν τοὺς ἐμοὶ μεταιτίους
νόστου δικαίων θ᾽ ὧν ἐπραξάμην πόλιν
Πριάμου.

---

[7]) Usus sum editionibus Teubnerianis: Aeschyli et Sophoclis Dindorfiana, Euripidis Nauckiana. Numeri uncis inclusi sunt editionis Hermannianae.

et Cho. v. 741 (728)

δόμοις δὲ τοῖσδε παγκάκως ἔχει
φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι τορῶς.

Quorum prior, ut nullis dubitationibus obnoxius, ad veram attractionis vim ac naturam luculenter demonstrandam aptissimus, alter ad viam ac rationem, quam in tota hac quaestione secutus sum, illustrandam maxime idoneus est. Uterque igitur nos paulisper teneat.

Atque in priore quidem haud vereor ne quis tantum propter metricam rationem genetivum *ὧν* pro *ἃ* accusativo positum esse dicat. Quid enim? si sola metri ratio poscebat genetivum, nonne hanc difficultatem Aeschylus facillime superare potuit pro *δικαίων* voce synonyma *ποινῆς* usurpata versuque in hunc modum conformato

νόστου τε ποινῆς θ', ἣν ἐπραξάμην πόλιν.?

Necessarius fuit attractionis usus, siquidem substantivum *δίκαια* et enuntiatio rel. tam arto inter se vinculo conexa sunt, ut sejungi non queant. Nam *δίκαια* non, ut antecedens *νόστος*, absoluta, sed relativa notio, ad intellectum suum additamentum quo determinetur et describatur necessario requirit. Talem autem enuntiationem rel. quae nominis notam essentialem quam dicunt philosophi praedicet, attractione cum illo in unum coalescere jam supra exposui. Structuram participialem, qua nos usi enuntiationem rel. attractam circumscribere possumus quaque Latini longe frequentissime usi sunt, Graeci quum omnes tum poetae gratam non habuerunt, si verbum additamentis, ut hoc loco objecto, amplificatum est. Unus huc revocari potest locus Aeschyli Prom. v. 891

καὶ μήτε τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων
μήτε τῶν γέννᾳ μεγαλυνομένων
ὄντα χερνήταν ἐραστεῦσαι γάμων.,

sed is quoque ab hoc diversus, quoniam participia non objecto, sed adverbiali quam dicunt determinatione (*πλούτῳ, γέννᾳ*) aucta sunt. Hoc autem loco vide quam invenuste Aeschylus dicturus fuerit *δικαίων τῶν ὑπ' ἐμοῦ παρὰ τῆς Πριάμου πόλεως πραχθέντων*. Structura vero relativa non solum propter perspicuitatem, sed etiam propter vigorem mirum quantum praestat.

Non quavis dubitatione vacua est attractio loco altero Cho. 741 *δόμοις δὲ τοῖσδε παγκάκως ἔχει*
φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι τορῶς.

Dicat enim quispiam genetivum ἧς non per attractionem pro ἥν accusativo, sed suo loco positum ab ὑπό praepositione pendere, genetivum autem φήμης aut in locutione παγκάκως ἔχει aut in ὑπό praepositione ἀπὸ κοινοῦ posita causam suam habere. Ego vero neutram harum rationum amplectendam censeo. Immo, si quid video, intolerabile est discrimen quod inter notionem φήμην et nuntium ipsum peregrinorum (ἀγγελίαν) statueretur necesse esset, si haec structura subaudienda esset: οἱ ξένοι ἤγγειλαν ὑπὸ φήμης. Quid enim vox φήμη hoc loco significat? An verba vel mandatum illud Strophii peregrinos hortantis,[8]) ut Orestis mortem Clytaemestrae nuntiarent? At hoc nuda voce φήμης Strophii mentione plane omissa significatum esse ut intellegatur, Oedipo opus est conjectore. An vero vox φήμη, ut haud raro, hoc loco rumorem significat? At non de rumore, sed de nuntio claro admodum atque certo agitur, quem Orestes et Pylades a Strophio acceperunt. Itaque genetivus ἧς ab ὑπό praepositione suspensus fieri non potest. Nec vero rectius genetivus φήμης cum locutione παγκάκως ἔχει struitur. — At solet genetivus cum locutionibus κακῶς (καλῶς, εὖ) ἔχειν (πάσχειν, κεῖσθαι) conjungi. — Fateor, sed ita, ut eae personalem quam dicunt habeant structuram, non, ut hoc loco, impersonalem. Structura optimorum scriptorum usu comprobata εὖ ἔχω φρενῶν[9]) minime consectariam habet alteram hanc κακῶς ἔχει φήμης, pro qua Graecorum usui unice convenit haec κακῶς ἔχει φήμη, cujus exempla congesserunt Wellauer in lex. Aeschyl. vol. I. p. 246 et Ellendtius lex. Soph. I. p. 733, quibus addas locos Euripidis Alc. 280. Hec. 318. 1195. Hel. 1661. El. 1051. Heracl. 1016. Jon. 247. Iph. A. 106. 1403. Suppl. 1082. Or. 91. 797. 1368. 1612. 1643. Tro. 893. Phoen. 1202.

Ea vero explicatio, quam ego unice veram puto causam genetivi ἧς in attractione positam ratus, non solum sententiae, sed etiam structurae egregie satisfacit. Nam ut nutrix aptissime causam mali quod regiis aedibus

---

[8]) Cf. v 680 sq.

[9]) Cf. Eur. Hippol. 462. Hel. 857. Aristoph. Lys. 1125. Theogn. v. 1009. Her. V, 20. Thuc. III, 92, 3; I. 75, 1; I, 36, 3. Paus. VII, 18, 5. Aeschylus et Sophocles ne hac quidem structura usi sunt.

accidit ab ipso nuntio peregrinorum repetit, ita vox φήμη haud raro apud tragicos *nuntii* significationem habet. Cf. Soph. El. 1155. Eur. Hippol. 158. Phoen. 1217. Attractio autem, id quod gravissimum est, justa ratione non caret, quoniam enuntiatio rel. qualis illa φήμη fuerit describens attributivam dignitatem habet pariter atque adjectivum νεάγγελτος substantivo φάτις additum ejusdem fabulae v. 736. ὡς σαφέστερον

ἀνὴρ ἀπ' ἀνδρὸς τὴν νεάγγελτον φάτιν
ἐλθὼν πύθηται τήνδε

et adjectivum εὐάγγελος Eur. Phoen. v. 1217 ἐξ εὐαγγέλου φήμης.

Ea autem quibus hic locus a reliquorum similitudine recedit, minime tanta sunt, ut iccirco attractionem ab eo alienam judicemus. Nam etsi locorum plerorumque in quibus Aeschylus praepositionis anastropham admisit, haec est condicio, ut substantivum nihil habeat additamenti[10]), et quamquam ne apud reliquos quidem tragicos exemplum me reperisse confiteor, in quo praepositio inter substantivum et enuntiationem rel. inserta sit, tamen ut his offensiunculis nihil tribuam facile adducor similitudine duorum locorum, Ag. v. 475

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου
πόλιν διήκει θοὰ
βάξις.

et Soph. Oed. Col. v. 737

ἀλλ' ἀνδρῶν ὕπο
πάντων κελευσθείς.,

in quibus praepositionem substantivo postpositam adjectivum subsequitur. Nec vero majus est quod quispiam dixerit Aeschylum attractionem nisi in ὧν forma genetivi numeri pluralis generis neutrius admisisse. Nam etiam apud reliquos tragicos, ut nihil dicam de Herodoto et Thucydide, sunt exempla genetivi ἧς assimilati: unum apud Sophoclem, El. v. 1108

οὐ δή ποθ' ἧς ἠκούσαμεν
φήμης φέροντες ἐμφανῆ τεκμήρια.,

tria apud Euripidem, Med. v. 296.

χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας.

Ion. v. 1469. τῆς ἡδονῆς τῆσδ' ἧς ἔδωχ' ὑμῖν ἐγώ.

---

10) Cf. Prom. 365. 634. Pers. 754. Sept. 286. 1024. Suppl. 238. 499. 934. Ag. 541. 590. 587. 1133. 1453. Cho. 616. Eum. 417.

Or. v. 1409 *οἱ δὲ πρὸς θρόνους ἔσω*
μολόντες ἃς ἔγημ' ὁ τοξότας Πάρις
γυναικός.

Denique forsitan illud occurrat reliquis locis Aeschylum verbo enuntiationis rel. attractae non ut hoc loco adverbium addidisse. At etiam in hac re facile a me impetro ut quod Sophocli et Euripidi, idem Aeschylo licuisse statuam. Nam quum omnino non prudentis sit grammatici nulla Sophoclei et Euripidei usus ratione habita aliquod dicendi genus propterea ab Aeschylo abjudicare, quod nullo alio loco ex hujus tragoediis sumpto comprobari possit, tum falsissima ducatur opinione qui eandem rationem in attractionis exemplis examinandis sequi velit, quippe qui parum consideret hanc ea demum aetate qua tres illi tragici floruerunt invaluisse, vixque requiri posse, ut, quae est paucitas reliquiarum, apud unumquemque eorum omnia attractionis genera reperiantur. Habes igitur, ut teneam quamobrem id monui, verbo enuntiationis rel. attractae additum adverbium temporis aut, ut hoc loco *τορῶς*, modi apud Sophoclem locis quatuor Oed. Col. v. 1489. El. 873. Trach. 346. Phil. 52, apud Euripidem uno loco qui huic est simillimus Or. v. 259 *ὁρᾷς γὰρ οὐδὲν ὧν δοκεῖς σάφ' εἰδέναι.* Atque haec quidem hactenus de priore genere enuntiationum rell. attractarum.

Venio nunc ad genus alterum quod dixi substantivum.

§ 2.

De genere substantivo enuntiationum rell. attractarum.

Est hoc genus tripartitum, siquidem enuntiatio rel. attracta substantivi vicaria aut a nomine aut a verbo aut a praepositione pendet. Ac primi quidem generis sunt tres species, quoniam nomen regens substantivum aut pronomen substantivum aut adjectivum esse potest.

Atque ut ab eo genere exordiar in quo enuntiatio rel. attracta a substantivo pendet, duo sunt huc revocanda exempla,

Prom. 448 (447) *λέξω δὲ μέμψιν οὔτιν' ἀνθρώποις ἔχων*
ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος.

et Agam. 331 (316)
νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν ὧν ἔχει πόλις.,

quorum quae sit indoles nunc paulo fusius exponam.

Atque in priore quidem loco quamquam de attractione ipsa non dubitavit, tamen structura verborum ὧν δέδωκ' εὔνοιαν offensus nuperrime A. Meinekius (Philol. XX. p. 51 et ad Soph. Oed. Col. v. 390) scribendum proposuit ὧν δέδωκ' εὔσοιαν, ut mihi videtur, parum probabiliter. Nam illud quidem ultro ei concedo Vossium haec verba male vertisse „meiner Gaben Wohlthat", siquidem vox εὔνοια non idem quod εὐεργεσία significat; structuram autem ὧν δέδωκ' εὔνοιαν omnino perversam esse non concedo. Immo vero haec consequitur structuram, de qua dubitari non potest εὔνους εἰμί τι[11]). Ut enim spatium quod essentia fluens emetitur atque explet, accusativo, ita id quod tenetur vel in quo cernitur essentia firma et fixa, genetivo significatur. Itaque si accurate haec verba exprimere volumus, vertenda sunt: *benivolentia vel benivolum consilium quod inest in donis meis*.. Conjectura autem εὔσοιαν, de qua ut paulo accuratius nunc dicam Meinekii summa auctoritas postulare mihi videtur, εὔσοιαν inquam neque a sensu totius loci neque ab hujus vocis vero significatu commendationem habet. Nam obscuratur ea et paene diluitur, id quod Weilium non fugit, oppositio illa clara admodum notionum μέμψεως et εὐνοίας, qua Prometheus sese in homines non infenso, sed benivolo animo fuisse confirmat. Sed etiam significationem vocis εὐσοίας parum assecutus videtur Meinekius interpretatus nostro vocabulo „Segen". Significat enim haec, quippe quae ejusdem stirpis sit atque adjectivum σῶς, *integritatem, securitatem, salutem, prosperitatem,* id quod non solum glossa Hesychii[12]) stabilitur, sed etiam duobus locis Sophoclis comprobatur Oed. Col. v. 390

σὲ τοῖς ἐκεῖ ζητητὸν ἀνθρώποις ποτὲ
θανόντ' ἔσεσθαι ζῶντά τ' εὐσοίας χάριν.

(*h. e. propter suam salutem*)[13]) et Amphitr. fr. 119 ed. Nauck. p. 124 (fr. 124 ed. Dind.).

ἐπεὶ δὲ βλάστοι, τῶν τριῶν μιᾶς λαβεῖν
εὔσοιαν ἀρκεῖ.

---

[11]) Cf. Pseudo-Lys. or. 20, 9. Thuc. III, 67, 4; 64, 3. Xen. Cyr. I, 4, 4. Soph. Oed. R. 1421.

[12]) Hesychius s. v. εὔσοια· εὐθένεια, σωτηρία.

[13]) Cf. schol. Laur. ad h. l.

Tertio loco Phil. v. 1322

ἐὰν δὲ νουθετῇ τις εὐνοίᾳ λέγων,
στυγεῖς πολέμιον δυσμενῆ θ' ἡγούμενος.,

in quo La. habet *εὔνοιάν σοι λέγων*, Schneidewinus *εὔσοιαν* conjectura inferre voluit. Sed etiam si haec vera esset, ut ne Schneidewino quidem certa et in textum recipienda visa est, tamen ex hoc loco Meinekiana conjectura non plus praesidii acciperet quam ex iis quos modo laudavi, siquidem ipse conjecturae auctor verba *εὔσοιαν λέγων* idem significare dixit atque *σωτηρίαν ἐπαγγελλόμενος*. Aeschyli loco si quid mutandum esset, equidem praeferendam censerem vocem *εὔροιαν*, ut *βίου εὔροια* haud semel apud philosophos occurrit et Aeschylus *εὐροεῖν* verbo ejusdem stirpis usus est Pers. v. 601

ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ, πεποιθέναι
τὸν αὐτὸν αἰεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχης.

Nulla vero mutatione opus esse satis docuisse mihi videor. Patet autem, quamquam Krausius hunc locum inter attractionis exempla referre omisit, genetivi *ὧν* rationem non constare nisi attractione statuta. Nam neque pro genetivo partitivo haberi neque ab *εὔνοια* substantivo suspensus fieri potest. Prior ratio improbanda est, non solum quia partitivus genetivus vix cum *εὔνοια* substantivo strui potest, sed etiam propterea quod omnino non in rem est Promethei sua de hominum genere merita quam maxime praedicantis et celebrantis, partem tantum donorum suorum enumerare. Altera autem ratio reicienda est propterea quod non genetivus pluralis, sed accusativus singularis *ἥν* relatus ad *εὔνοιαν* substantivum poni debebat similiter atque Euripidis Hel. v. 1426

ἐν σοὶ τόδ', ἣν σὴν εἰς ἔμ' εὔνοιαν διδῷς.

Alter locus quem huic generi attribuendum esse dixi est Agam. v. 331

τοὺς δ' αὖτε νυκτίπλαγκτος ἐκ μάχης πόνος
νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν ὧν ἔχει πόλις
τάσσει πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον.

Ac ne quis hunc locum numero attractionis exemplorum decerpat aut cum Weilio in suspicionem vocet, nunc nullam aliam explicationem probari posse demonstrabo nisi hanc, ut enuntiatio rel. *ὧν ἔχει πόλις* genetivi substantivi instar ab *ἄριστα* nomine suspensa fiat hoc sensu: *ad jentaculum eorum quae urbs habet.* Ac primum quidem *ὧν* pro genetivo partitivo accipere

propterea non licet, quod, ut recte dicitur, ***prandeo aliquid eorum quae urbs habet***, ita parum consentaneum est hanc structuram supponere ***prandeo ea quorum aliquid urbs habet.*** Quod autem Weilius genetivum *ὧν* sic excusavit, ut Aeschylum ad *ἄριστοι* superlativum, qui primam correptam habet, allusisse diceret, id mihi videtur acuminis genus non solum ab Aeschylo, sed a quovis poeta alienum. Ut vero enuntiatio rel. ab *ἄριστα* nomine sejungatur atque ab adjectivo *νῆστις* suspensa dicatur, non permittit verborum collocatio parumque valet similitudo loci Euripidis Iph. Taur. v. 693

καὶ πρόσθεν ἀδύτων ἐκταθεὶς νῆστις βορᾶς
ἐπώμιοσ' αὐτοῦ βίον ἀποῤῥήξειν θανών.

Nam adjectivis significatione privativa praeditis fere non impertitur genetivus substantivi nisi id cognatam si minus stirpem, saltem significationem habet[14]), id quod in hunc locum non quadrat. Jam si reputamus vix quicquam interpolatori ansam dare potuisse, ut lectionem genuinam genetivo *ὧν* glossae loco apposito explicaret aut totum hunc versum de suo adderet, hunc locum non solum a mutationibus, quales facillime fieri possunt *πρὸς ἀρίστοισιν οἳ ἔχει πόλις* vel *ἀρίστοισιν ἃν ἔχῃ πόλις*, sed etiam ab athetesi vindicabimus. Nam quod Mediceus liber Agamemnonis versus inde a. v. 296 usque ad. v. 1026 (ed. Herm.) non continet, deinde quod in scholiis ad hunc locum nihil adnotatum est, denique quod sententia hujus loci etiam versu de quo nos agimus exterminato stat, hae sunt causae parum validae fereque nullae. Haec habui de hoc loco quibus attractionem extra omnem dubitationem vocarem.

Itaque nunc transeamus ad alteram hujus generis speciem, cujus hoc proprium est, ut enuntiatio rel. attracta ab *οὐδέν* pronomine substantivo pendeat. Atque hujus quidem formulae *οὐδὲν ὧν*, quam Sophocles et Euripides in deliciis habuerunt, apud Aeschylum duo sunt exempla Prom. v. 963 (967) *πεύσει γὰρ οὐδὲν ὧν ἀνιστορεῖς ἐμέ.* et v. 984 (988) *ἐρεῖν ἔοικας οὐδὲν ὧν χρῄζει πατήρ.*, de quibus nunc singillatim dicendum est.

Atque priore quidem loco scriptura *ὧν ἂν ἱστορῇς* quae est in Guelferbytano codice, in editione Turnebi,

---

[14]) Cf. Kruegeri gr. gr. I. § 47, 26, 10 et 11.

u lemmate scholii recentioris, dubitandum non est quin ex errore manaverit eodem quo altera lectio continetur, quae e nonnullis deterioribus libris in Aldinam fluxit, ὧν ἂν ἱστορεῖς. Indicativus ἀνιστορεῖς unice verus est, non solum quia Mediceo libro praestantissimo continetur, sed etiam quia de re certa quam Mercurius e Prometheo quaesivit agitur. Accedit quod Aeschylus in enuntiatione rel. conjunctivo comprehensa attractionem non admisit, atque etiam apud reliquos tragicos formula οὐδὲν ὧν cum indicativo structa reperitur. Cf. Soph. Aj. 115. El. 319. 1048. 1220. Oed. R. 119. Oed. Col. 976. 1155. 1145. Phil. 253. 1394. 1227. Oed. R. 862. Trach. 346. 1121. 1232. Thyest. fr. 227, 4. Eur. Med. 400. Andr. 1001. Hec. 1268. Jon. 1381. Hel. 446. Or. 259. Phoen. 482. Cycl. 259. Antiop. fr. 201. Temenid. fr. 736. inc. fr. 1018. Nec vero ad ἀνιστορεῖν verbum hoc loco removendum satis validum argumentum hoc est, quod Aeschylus hoc verbo nullo alio loco usus est. Certe eodem jure ἱστορεῖν verbum ab hoc loco alienum dici potest, siquidem nullo alio loco Aeschyli cum duplici accusativo structum reperitur. At verbo ἀνιστορεῖν patrocinantur loci Sophoclis Phil. v. 253 et Oed. R. v. 578 et qui Aeschyli loco est simillimus Oed. Col. v. 991

ἕν. γάρ μ' ἄμειψαι μοῦνον ὧν σ' ἀνιστορῶ.,

quocum componi potest e tragoedia quae Χριστὸς πάσχων inscribitur v. 2610

λέξω τὰ πολλὰ νητρεκῶς ὧν μ' ἱστορεῖς.

Iam ut alterum locum aggrediar, Prom. v. 984

ἐρεῖν ἔοικας οὐδὲν ὧν χρῄζει πατήρ.,

Krausius opinatus, ut videtur, genetivum ὧν suo loco positum a χρῄζειν verbo pendere, ab attractionis exemplis exulare jussit hunc locum aeque atque Sophoclis Oed. Col. v. 778

πλήρη δ' ἔχοντι θυμὸν ὧν χρῄζοις

et Trach. 1194 ξὺν οἷς χρῄζεις φίλων.

Quod recte fecit in tertio loco, in Aeschyli et Sophoclis loco priore non item. His enim ut attractio statuatur flagitat structura verbi χρῄζειν quae est apud tragicos[15]), de qua, ne genetivum et accusativum promiscue usurpatos credas, tu sic habeto.

---

[15]) Apparebit ex hac quaestione, quam verum sit quod dixit Ellendtius (lex. Soph. II. p. 965): „χρῄζειν apud Sophoclem aut cum

Χρῄζειν verbum significans *desiderare, cupere,* non genetivum, sed accusativum rei secum habet, si haec pronomine aut adjectivo generis neutrius continetur, ut ex his locis apparet Aesch. Prom. 928. Soph. Oed. R. 595. 655. Oed. Col. 643. Phil. 49. Eur. Phoen. 384. Suppl. 123. 1067. Jon. 333. Med. 682. Tro. 965. Phoen. 1211. Rhes. 171.; quibus addam hos, in quibus ambigi potest, pendeatne accusativus ab ipso *χρῄζειν* verbo an ab infinitivo verbi, quod est in enuntiatione primaria, supplendo, Soph. Oed. Col. 916. 1175. Trach. 416. 1120. El. 629. Eur. Phoen. 512. Jon. 428. Iph. A. 861. Cui legi non reluctantur loci Soph. Oed. R. 932 et Eur. Jon. 417, siquidem his *χρῄζειν* verbum significationem habet: *alicujus rei indigere,* quae si obtinet, genetivus est legitimus, sive cujus aliquis indiget, est persona, ut Aesch. Prom. 373. Soph. Oed. R. 597. Eur. Suppl. 1060, sive res, ut Aesch. Cho. 530. Quae quum ita sint, et eo unde in hac quaestione profecti sumus loco Aeschyli et Sophoclis Oed. Col. v. 778 structura *χρῄζειν τι* subaudienda et attractio statuenda est. Alia vero res est altero loco Sophoclis Trach. v. 1194

ἐνταῦθά νυν χρή τοὐμὸν ἐξάραντά σε
σῶμ' αὐτόχειρα, καὶ ξὺν οἷς χρῄζεις φίλων
πολλὴν μὲν ὕλην τῆς βαθυῤῥίζου δρυὸς
κείραντα, πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ
ἄγριον ἔλαιον, σῶμα τοὐμὸν ἐμβαλεῖν.

Nunquam enim accusativus personae cum *χρῄζειν* verbo construitur: a qua lege non abhorrent loci Soph. Oed. R. v. 1274 et El. v. 1235, quoniam his accusativus *οὓς* non a *χρῄζειν* verbo, sed ab infinitivis *γνῶναι* et *ἰδεῖν* pendet, qui e verbis finitis *γνωσοίατο* et *εἴδετε* ad *χρῄζειν* verbum supplendi sunt, similiter atque Soph. Oed. Col. 1705. El. 1099. Eur. Hec. 565. Phoen. 557. Teleph. fr. 721. Atque haec ipsa explicatio etiam Trachiniarum loco quem modo laudavi adhibenda est, ut ad *χρῄζειν* verbum cogitatione suppleantur infinitivi *ἐξᾶραι, ἐκτεμεῖν, ἐμβαλεῖν,* dativus autem *οἷς* a *ξύν* praepositione pendeat. Ac ne Aeschyli quidem loco si quis ad *χρῄζει* verbum ex antecedenti infinitivo *ἐρεῖν* accusativum cum

---

accusativo rei aut cum infinitivo illius vices gerente aut nude sine casu dicitur.“

infinitivo σὲ λέγειν supplere velit, equidem oblucter: attractio enim remanet nec quicquam habet offensionis, etsi apud Aeschylum huic plane compar exemplum non reperitur. Sunt enim ejusdem generis loci apud Sophoclem et Euripidem, in quibus qui debebat esse accusativus pronominis rel. non ab ipso verbo finito, sed ab infinitivo cum hoc in unum conjungendo pendet: Oed.R.862

οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὧν οὔ σοι φίλον.

Phil. 1227. ἔπραξας ἔργον ποῖον ὧν οὔ σοι πρέπον.
Eur. Andr. 1001. δείξει γαμεῖν σφε μηδὲν ὧν ἐχρῆν ἐμέ.
Temenid. fr. 736. μνημονεύων οὐδὲν ὧν ἐχρῆν φίλον.
Nihilominus equidem priorem rationem, secundum quam nihil supplendum est, ut simpliciorem, huic praeferendam censeo. Verum haec satis sunto de hoc loco.

Nunc, quoniam tertiae hujus generis speciei exempla, in quibus enuntiatio rel. attracta ab adjectivo pendet, apud Aeschylum desunt, proferamus locos eos, in quibus enuntiatio rel. attracta a verbo enuntiationis primariae regitur: qui sunt duo

Eum. v. 574 (564) ἄναξ Ἄπολλον, ὧν ἔχεις αὐτὸς κράτει.
et Sept. v. 550 (531) εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι πρὸς θεῶν.

Atque in priore quidem loco quavis dubitatione vacua est attractio, siquidem genetivus ὧν manifesto causam suam in structura κρατεῖν τινος habet. Longiorem disputationem requirit locus alter, de cujus scriptura et integritate nuperrime dubitationes prolatae sunt. Pro certo tamen equidem habeo genetivum ὧν nisi per attractionem explicari non posse. Nam quominus eum ab infinitivo τυχεῖν ad verbum φρονοῦσι supplendo pendere statuamus, significatio ususque verbi φρονεῖν prohibet. Significatio enim quam hoc verbum cum infinitivo structum apud Homerum (Il. ρ, 286) et Hesiodum (Scut. 387) habet, *in animo habere aliquid facere vel consilium capere alicujus rei faciendae*, ea in hunc locum non quadrat. Quod vero majus est, haec structura si minus ab omnium Atticorum,[16]) certe a tragicorum usu aliena fuit. — Sed non huic, sed attributivo generi enuntiationum rell. attractarum assignandus esset hic locus, si vera esset conjectura Heimsoethii, qui duo

[16]) Unum equidem novi locum Xenophontis Cyr. III. 3, 66. τοξεύειν μὲν καὶ ἀκοντίζειν εἰς τοὺς κατακαίνοντας οὔτε ἐφρόνουν οὔτε ἐδύναντο, in quo infinitivi τοξεύειν et ἀκοντίζειν non tam propter φρονεῖν quam propter δύνασθαι verbum usurpati videntur.

vocabula πρὸς θεῶν in unum δυσθεῶν mutari jussit. Sed vera non est, etsi ille eam studiosissime defendit atque in ea se perstare etiam nuperrime confessus est.[17]) Quas enim in scriptura libris tradita inesse putavit offensiones nullae sunt. Nam nihil valet quod ab Eteocle supponi potuisse negavit deos Argivis res prosperas daturos esse, siquidem victores semper, etiamsi hostes sint, a diis victoriam nancisci illius heroicae aetatis fuit sententia religiosa admodum. Quod vero verbis πρὸς θεῶν interpositis versum αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν a verbo φρονοῦσι male divelli dixit, id per se dissolvitur, quoniam illi dativi, ut ipse Heimsoethius postea intellexit,[18]) omnino non cum φρονοῦσι verbo conjungendi sunt. Nec firmius esse scripturae δυσθεῶν fulcrum, quod in scholiastae interpretatione ἀνοσίων positum opinatus est, elucet totam scholiastae Medicei adnotationem perlegenti, quae haec est: εἴθε γὰρ παρὰ θεῶν τύχοιεν ἐπαξίως ὧν φρονοῦσιν ἀνοσίων καὶ ἀλαζονεύονται ἐπὶ τῶν ἀσπίδων κομπάσματα ἔχοντες. Quid enim? nonne apertum est vocabulum ἐπαξίως tantum in voce ὧν φρονοῦσι causam suam habere neque alio consilio a scholiasta positum esse nisi ut quale esset illud ipsum enuntiato ὧν φρονοῦσι comprehensum una voce complecteretur? Quid vero scholiastam permoverit, ut verba παρὰ τῶν θεῶν in suam interpretationem reciperet, frustra quaeres ex Heimsoethio, frustra qui factum sit, ut haec verba etiam in recentiora scholia transirent, quum reliqua mutata sint in hunc modum: εἴθε γὰρ τύχοιεν παρὰ τῶν θεῶν ὧν καθ' ἡμῶν φρονοῦσι. Sed est in conjectura ipsa quod reprehendatur. Ut nusquam extat, ita ego dici posse nego τυχεῖν δυσθεῶν. Quae enim diis invisa sunt, omnino ab iis impetrari dici non possunt. Deinde κομπάσματα quidem dici potuerunt δύσθεα, ut dicta sunt ἀνόσια; quod autem Argivi de urbe expugnanda cogitaverunt, id impium diisque invisum appellari non potuit. Denique ne illud quidem praetermittendum est, quod Heimsoethius, ut eum quem vellet sensum eliceret, con-

---

[17]) Cf. Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus S. 448; Die indirecte Ueberlieferung des aeschyl. Textes S. 140; Krit. Studien zu den griech Tragikern S. 124.

[18]) Cf. Krit. Studien S. 124.

jectura neque eleganti neque probabili ὀλοίατο tertiam personam in ὀλοίμεθα primam mutare coactus est in versu sequenti

ἢ τᾶν πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο.

Nec vero magis audiendus est Dindorfius, qui in editione quarta Lipsiensi non solum post versum 545 decem versus excidisse suspicatus est, sed etiam duos versus libris traditos εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι πρὸς θεῶν

ἢ τᾶν πανώλεις. παγκάκως τ' ὀλοίατο

ut spurios exterminandos esse censuit. Nam ut nullum ad hanc sententiam confirmandam argumentum protulit, ita hi versus nihil habent, quod ab Aeschylea dictione abhorreat. Equidem cum Ritschelio, Weilio, Keckio post versum εἰ γὰρ κ.τ.λ. nonnullos versus excidisse conicio. Sed haec alia quaestio: nos ad propositum redeamus atque quoniam loci ejusmodi, in quibus enuntiatio rel. attracta ab adverbio pendeat, apud Aeschylum desunt, finem faciamus disputationis de attractionis exemplis institutae.

Sequitur igitur genus locorum, in quibus Aeschylus attractionem non adhibuisse censendus est.

Caput II.

De enuntiationibus relativis in quibus non est attractio.

Bipartitam hanc quaestionem instituamus ita, ut primum de iis locis dicamus in quibus genetivus pronominis rel. falso per attractionem explicatur aut recte se non habet, deinde eos proferamus in quibus accusativus pronominis rel. extat. Atque in prioris quidem generis locis enumerandis hunc ordinem sequi visum est, ut initium faceremus ab iis, in quibus genetivus pronominis rel. recte quidem se habet, sed non per attractionem explicandus est, his adjungeremus eos quibus attractio a viris doctis male illata est, postremo in quaestionem vocaremus eos, quorum scripturam ego ita mutandam censeo, ut attractio sit nulla.

§ 3.

De locis in quibus genetivus pronominis relativi perperam per attractionem explicatur.

Ut a loco exordiar qui est in vetustissima fabula

Aeschyli, non, ut Blomfieldius et Wellauer, attractionem agnosco Pers. v. 342 (334)

καὶ γὰρ Ἕλλησιν μὲν ἦν
ὁ πᾶς ἀριθμὸς ἐς τριακάδας δέκα
ναῶν, δεκὰς δ' ἦν τῶνδε χωρὶς ἔκκριτος·
Ξέρξῃ δὲ, καὶ γὰρ οἶδα, χιλιὰς μὲν ἦν
ὧν ἦγε πλῆθος.

Est sane *ναῶν* genetivus ex antecedentibus ad *χιλιάς* nomen cogitandus, genetivus autem *ὧν* non pro *τούτων ἅς*, sed suo loco positus a *πλῆθος* substantivo pendet, quod non pro subjecto enuntiationis primariae, sed pro objecto verbi *ἦγε* habendum est. Verba *ὧν ἦγε πλῆθος* apte explicari non possunt nisi sic, ut opposita iis, quibus de Graecorum navibus Aeschylus usus est. (*δεκὰς δ' ἦν τῶνδε χωρὶς ἔκκριτος*) significent Xerxem non, ut Graecos, *ἐκκρίτους* naves habuisse, sed universam earum multitudinem secum traxisse. Sin verba *ὧν ἦγε* a *πλῆθος* nomine sejungeremus et *ὧν* genetivum casum nominis *ναῶν*, omissi quidem illius, sed cogitandi, induisse statueremus, horum verborum vis esset nulla, quippe quae de notione *ναῶν* nihil praedicatura essent quod non versu antecedenti jam contineretur. Tautologia haud minor esset quam si quis dicere vellet: *Ξέρξῃ χιλιὰς ἦν τῶν αὑτοῦ ναῶν πλῆθος* (*Xerxi erat numerus milliarius navium suarum*): quae evitari non potest ita ut intellegantur naves quas duxit ipse Xerxes, oppositae aliis, quas non duxit. Nam si haec explicatio vera habenda esset, pronomen *αὐτός* omitti non potuisset, atque etiam pro *ἄγειν* verbo si minus necessarium, certe multo aptius fuisset *ἡγεμονεύειν* vel *ἡγεῖσθαι*. Denique ne illud quidem reticere volo, quod haec verba e narratione petita sunt nuntii Persarum cladem referentis. Hauscio enim an aliquid sit quod observavi tragicos non solum in canticis sed etiam in *ἀγγελικαῖς ῥήσεσι* et prologis qui epicum colorem habent, attractione abstinuisse. Concicere enim saltem licet eos consuetudinem secutos esse poetarum epicorum et lyricorum, a quorum carminibus attractio aliena fuit. Sed etiamsi huic rei non multum tribuendum sit, attractionem ab hoc loco abjudicandam esse satis docuisse mihi videor.

Itaque nunc pergamus ad locum alterum haud parvis difficultatibus implicatum Suppl. v. 599 (588)

πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος
σπεῦσαί τι τῶν βούλιος φέρει φρήν.

Quem ut parum recte attractionis exemplorum numero a Krausio habitum esse judicem, haec me permovent. Quominus supponatur structura *σπεῦσαί τι τούτων ἃ βούλιος φέρει φρήν*, locutio *βούλιος φέρει φρήν* obstat, utpote quae cum accusativo rei strui non possit. Hoc quum ex ipso ejus significatu eluceat, tum similium formularum usu comprobatur, quae non cum simplici accusativo rei, sed cum infinitivo consociantur, velut *γνώμη φέρει, θυμὸς ἄγει*[19]. Quid igitur? Num haec structura subaudienda est *σπεῦσαί τι τούτων ἃ σπεῦσαι βούλιος φέρει φρήν?* Minime vero. Nam *σπεῦσαι* infinitivus cum verbis antecedentibus *πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος* conjungi non potest, quippe quae nihil aliud significare queant nisi hoc : *praesens est factum ut dictum.* Quid enim? Nonne structuram languidissimam et a gravitate hujus cantici alienissimam Aeschylo obtruderet, si quis interpretari vellet : *licet ei* (Jovi) *factum ut dictum maturare aliquod eorum quae maturare vult.* Fateor, hoc dicendi genus non incommodum erat, quo pedestris orationis scriptor cujusvis regis potentiam describeret. Aeschylum vero tali modo summam Jovis potentiam efficacitatemque celebraturum fuisse nullo pacto adduci possum ut credam. Sed praesto sunt argumenta duo ex attractionis usu, qui fuit apud tragicos, petita. Extat enim apud eos, ut supra commemoravi, nullum attractionis exemplum in chori cantico, nullum, id quod gravius duco, in forma pronominis rel. a *τ* litera incipienti. Videtur enim demonstrativi pronominis similitudine effectum esse, ut ejus generis formae relativae cum antecedenti nomine non coalescerent, sed casum

---

[19]) Cf. Her. V, 118, 2 *τούτου τοῦ ἀνδρὸς ἡ γνώμη ἔφερε διαβάντας τὸν Μαίανδρον οὕτω συμβάλλειν.* VI, 110 *οἱ στρατηγοὶ τῶν ἡ γνώμη ἔφερε συμβάλλειν.* VIII, 100, 1 *πλέον μέντοι ἔφερέ οἱ ἡ γνώμη κατεργάσασθαι τὴν Ἑλλάδα.* Thuc. I, 79 *τῶν πλειόνων ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἱ γνῶμαι ἔφερον πολεμητέα εἶναι ἐν τάχει.* Her. III, 77 *ἐγένετο οἷόν τι Δαρείῳ ἡ γνώμη ἔφερε* sc. *γενήσεσθαι* coll. IX, 120, 2. Eur. Med. 310. *ἐξέδου κόρην ὅτῳ σε θυμὸς ἦγε* sc. *ἐκδίδοσθαι.* Nou diversa est indoles Latinorum formulae f e r t a n i m u s s. s e n t e n t i a cum infinitivo structae apud Ovidium Met. I, 1. coll. Cic. p. leg. Manil. extr.

eum, quem verbum enuntiationis rel. requirit, tenerent. Quod quo facilius perspiciamus, in memoriam revocemus, quod de pronominum rell. ex demonstrativis ortu grammatici docuerunt. Per se enim elucet, quo propius ab hoc ortu absint formae pronominum rell., eo propius item abesse naturam sententiarum rell. a demonstrativis. Ab eo autem enuntiationum rell. genere, quod a demonstrativis non multum abest, attractionem alienam esse ex iis apparet quae de ejus origine et natura p. 3.sq. exposui. Quod quale sit etiam hoc loco cernitur. Enuntiatio enim rel. tantum abest ut cum enuntiatione primaria in unum coalescat, ut per se constans separatim sit struenda. Certe haec est ratio quam mecum communicavit Haasius v. cl., qui enuntiationem rel. *σπεῦσαί τι τῶν βούλιος φέρει φρήν* subjecti loco, verba *πάρεστιν ἔργον ὡς ἔπος* pro praedicato haberi vult ita, ut sit vertendum: ***praesens est factum ut dictum, quorum aliquid maturare fert ejus voluntas.*** Quae si vera est ratio, ut videtur, attractio hoc loco est nulla, siquidem *τῶν* genetivus generis neutrius a pronomine *τι* pendet, verba autem *σπεῦσαί τι* non sine vi pronomini rel. anteposita sunt. Ac profecto haec structura ut concisa admodum et valde efficax judicanda est, ita ab altero loco Aeschyli commendationem accipit, qui est Pers. v. 174

εὖ τόδ' ἴσθι, γῆς ἄνασσα τῆσδε, μή σε δὶς φράσαι
μήτ' ἔπος μήτ' ἔργον, ὧν ἂν δύναμις ἡγεῖσθαι θέλῃ.,

siquidem etiam hoc loco *ὧν* genetivus pronominis rel. numeri pluralis, ab *ἡγεῖσθαι* verbo suspensus, referendus est ad nomina *ἔπος* et *ἔργον* singulari numero posita. Sed suppetit altera quoque ab hac non multum diversa explicatio haec, ut *τῶν* pro genetivo generis masculini habentes hunc sensum esse dicamus: ***praesens est factum ut dictum eorum quorum aliquod maturare fert ejus voluntas.*** Quarum rationum optionem do eligendi utra sit praestantior: illud evicisse satis habeo hoc loco attractionem esse nullam. Nam Bothii quidem conjecturam infelicissimam

σπεῦσαί τι τῶν δολοφρονεῖ φρήν

vix est quod commemorem. Damnanda ea est non solum propterea quod *δολοφρονεῖν* verbum plane novum, sed etiam a sensu hujus loci alienissimum est.

Pergamus nunc ad locos duos, in quibus genetivus pronominis rel. ὧν non per attractionem, sed per ellipsis genus usitatissimum explicandus est. Quorum prior est quem Wellauer l. l. protulit Cho. v. 215 (210.)

εἰς ὄψιν ἥκεις ὧνπερ ἐξηύχου πάλαι.

Genetivum ὧνπερ quominus pro τούτων οὕσπερ positum credamus, obstat usus verbi ἐξεύχεσθαι, quod aeque atque εὔχεσθαι simplex, nisi absolute usurpatur, infinitivum adsciscit. Ac ne hoc quidem loco alia structura subaudienda est quam haec: εἰς ὄψιν ἥκεις ὧνπερ (εἰς ὄψιν ἥκειν) ἐξηύχου πάλαι, quam Latine exprimere licet sic: *in conspectum venisti quorum jam diu exoptasti,* collatis locis Terentii Andr. v. 213 (Si senserit aut si quam lubitum fuerit causam ceperit) et Luccei qui est in Ciceronis epist. V, 14, 3 (cum scribas et aliquid agas eorum quorum consuesti)[20]. Hunc autem, non quem Bothius elicuit, sensum interpretatus: *in conspectum venis eorum quos modo te visuram esse praedicabas,* huic loco inesse docent versus 138 sq. quibus Electra, ut Orestem reducem faceret, ab Jove precatus erat,

ἐλθεῖν δ' Ὀρέστην δεῦρο σὺν τύχῃ τινὶ
κατεύχομαί σοι· καὶ σὺ κλῦθί μου, πάτερ.

Ac ne cui genetivus numeri pluralis offensioni sit, satis constat, haud raro poetas numerum pluralem usurpasse ita ut pro singulari positus videatur, quum non tam unam certam personam vel rem, quam totum aliquod genus significare voluerint. Ex multis id genus exemplis satis erit elegisse haec Aesch. Eum. v. 100

παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων (Ὀρέστου)

Cho. 53 ἀνήλιοι βροτοστυγεῖς
δνόφοι καλύπτουσι δόμους
δεσποτῶν (Ἀγαμέμνονος) θανάτοισι.

Soph. Oed. R. 530 ἃ γὰρ δρῶσ' οἱ κρατοῦντες, (i. e. Οἰδίπους) οὐχ ὁρῶ.

ib. 496 εἶμ' Οἰδιπόδα Λαβδακίδαις
ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων[21]).

---

[20]) Cf. Bocksch de casuum quam dicunt attractione apud Plautum et Terentium. Vratislaviae 1865. p. 17 sq.

[21]) Cf. Jacob de usu num. plur. ap. poet. Lat. progr. Port. 1841. p. 39. Aliud hujus usus genus respicit Aristoteles Rhet. III, 6, 4, quum dicat: εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται καὶ τὸ ἓν

Quae quum ita sint, neque attractio hoc loco statuenda neque genetivus ὧνπερ cum Robortello in accusativum singularis ὅνπερ mutandus est. Immo vero hic mendosus judicandus est, quoniam neque ab ἐξεύχεσθαι verbo neque a locutione εἰς ὄψιν ἥκειν pendere potest. Nam quamquam exempla accusativi e locutionibus compositis apti apud tragicos haud rara sunt, tamen haec licentia prorsus inaudita esset [22]).

Similem ego ellipsin adhibendam esse censeo loco altero Sept. v. 310 (291).

ἀφέντες τὰν βαθύχθον' αἶαν
ὕδωρ τε Διρκαῖον, εὐτραφέστατον πωμάτων,
ὅσων ἵησιν Ποσειδὰν ὁ γαιάοχος
Τηθύος τε παῖδες.,

in quo ut a Wellauero et Krausio dissentiens genetivum ὅσων non ex attractione ortum, sed a substantivo ὕδωρ ad ἵησιν verbum repetendo suspensum dicam, plus una causa me permovet. Ac primum quidem enuntiationis rel. major est ambitus quam enuntiationis rel. attractae esse solet et par est. Ac ne apud posteriores quidem scriptores enuntiationem rel. attractam ejusmodi cognovi, quae comprehensa esset subjecto bipartito, cujus prior pars appositionem (ὁ γαιάοχος) haberet, altera pars duobus vocabulis (Τηθύος παῖδες) contineretur. Gravius etiam est alterum argumentum, quod exemplum attractionis in forma pronominis rel. ὅσος admissae apud tragicos quidem extat nullum, apud reliquos autem scriptores extare videtur nullum. Habes enim accusativum pronominis rel. ὅσος ad genetivum aut dativum nominis relatum his locis Tyrt. fr. 6 (5), 3 p. 318.Bergk. Theogn. v. 850. Pind. fr. 205. Bergk (138 Schn.). Soph. Oed. R. 1298. Trach. 1150. Oed. Col. 223. Phil. 1161. Eur. Or. 701. Hippol. 849. Iph. A. 639. Tro. 769. Aristoph. Daetal. fr. XI. (Mein. fr. com. II. p. 1030). Eupol. χρυσοῦν γέν. fr. I. (Mein. II. p. 535.) Com. inc. fr. 15. (Mein. ed. min. p. 1190). Stratt. Phoen. fr. 2. (M. IV. p. 545). Her. IV, 61, 1; 110, 1. Thuc. VI, 47, 1; VII, 61, 2. Hippocr.

πολλὰ ποιεῖν, ὅπερ οἱ ποιηταὶ ποιοῦσι· ἑνὸς ὄντος λιμένος ὅμως λέγουσι λιμένας εἰς Ἀχαϊκούς.

[22]) Cf. Fr. Trawinski de accusativi ex phrasibus apti apud tragicos graecos usu, Berolini 1865, p. 4 sq.

π. διαίτ. ὀξ. c. 1. (I. p. 287. ed. Erm.) Neque attractio agnoscenda est locis his: Soph. Phil. v. 471

ἔρημον ἐν κακοῖσι τοῖσδ', οἵοις ὁρᾷς
ὅσοισί τ' ἐξήκουσας ἐνναίοντά με,

in quo dativus ὅσοισι a participio ἐνναίοντα pendet, C. J. n. 3273, v. 10. (II. p. 756.) τύχοις ὅσων θέλεις (sc. τυχεῖν), in libro qui fertur Hippocratis περὶ φύσιος παιδίου c. 29 (II. p. 561. ed. Erm.) εἰ βούλεταί τις τοῖσι ἱστορίοισι, ὁκόσοισι μέλλω λέγειν, χρῆσθαι, in quo χρῆσθαι infinitivus etiam ad λέγειν verbum cogitandus est.

Qui vero attractionem exhibere videntur loci duo Aristophanis Eq. v. 873 et v. 876, eos tantum abest ut pro certis habeam, ut labem contraxisse suspicer. Nam in priore

κρίνω σ' ὅσων ἐγῷδα περὶ τὸν δῆμον ἄνδρ' ἄριστον
εὐνούστατόν τε τῇ πόλει καὶ τοῖσι δακτύλοισιν.

ὅσων genetivus tantum Bentlei et Dobraei conjectura continetur, quum, quod libri praebent ὅσον γ' et sensui hujus loci et Graecorum usui accommodatissimum sit [23]). Altero autem loco qui secundum librorum scripturam sic exhibetur

οὐ δεινὸν οὖν δῆτ' ἐμβάδας τοσουτονὶ δύνασθαι
ἐμοῦ δὲ μὴ μνείαν ἔχειν ὅσων πέπονθας;

mutationem necessariam duco hanc ὅσ' εὖ πέπονθας, quoniam πάσχειν verbum in bonam partem non accipitur nisi adverbiis aut adjectivis bonae significationis adjectis [24]). Sed ne apta quidem huic loco est attractio, quum enuntiatio rel. omnino non necessario vinculo cum nomine μνεία conexa sit. Habet hoc quo determinetur genetivum ἐμοῦ, enuntiatio autem rel. propterea tantum addita est, quia Paphlago denuo populi menti inculcare vult, quanta in eum beneficia contulerit, ut satis manifesta sit significatio concessiva: *(mei non meminisse, quamquam tot tantaque beneficia a me accepisti).* — Jam ut ad Aeschyli locum redeamus, etiam argumento enuntiationis rel. attractio excluditur. Tantum enim abest ut ea attributum adjungat quo nomen πώματα accuratius describatur aut artius definiatur, ut tantum huic

---

[23]) Cf. Arist. Nub. 1252 ὅσον γέ μ' εἰδέναι. Il. ν, 222. Soph. Oed. R. 1239. Phil. 1403. Xen. Mem. II, 1, 21.

[24]) Cf. Passovium et Papium in lex. s. v. πάσχειν.

notioni per se satis clarae et distinctae exornandae et circumscribendae inserviat. Sed haec quidem hactenus.

Quoniam igitur de locis falso per attractionem explicatis diximus, deinceps, ut erat propositum, eos proferamus, quibus attractio perperam a viris doctis illata est.

§ 4.

De locis Aeschyli, quibus attractio conjectura ingesta abjudicanda est.

Agmen incipiat exemplorum Sept. v. 356 (338)

ξυμβολεῖ φέρων φέροντι
καὶ κενὸς κενὸν καλεῖ
ξύννομον θέλων ἔχειν
οὔτε μεῖον οὔτ' ἴσον λελιμμένοι
τῶν ἐκ τῶνδ' εἰκάσαι λόγος πάρα.

quem Hermannus scripturae τῶν auctor sic interpretatus est: *Praeda onustus alii rapta ferenti obvius est; vacuus vacuum advocat, nec minus nec tantum quantum illos quos ferentes aliquid vident, rapuisse conicere licet, sed plus cupientes.* Mihi quidem, ut de hac conjectura quid sentiam una voce praecidam, genetivus τῶν intolerabilis videtur. Unde enim qui in eo dilituit accusativus ἅ pendet? An ex infinitivo φέρειν? At φέροντι dativus participii longius distat, quam ut ex eo infinitivus in enuntiationem rel. trahi possit. An vero ex infinitivo εἰκάσαι? At in tale enuntiatum quale esset ἅ ἐκ τῶνδ' εἰκάσαι λόγος πάρα attractio cadere non potest. Sed ne genetivi quidem ratio constat. Nam a comparativo μεῖον eum suspensum facere per verba οὔτ' ἴσον interposita non licet. Duos autem casus, genetivum a comparativo μεῖον, dativum ab ἴσος adjectivo pendentem in unum confusos esse non probabilior ratio est quam vetus illa casuum enallaga. Nec vero magis quisquam talem genetivi τῶν defensionem amplexabitur, qualem cuipiam in mentem venire posse suspicatus est Krausius l. l. p. 6, ut τῶν genetivum pro dativo usurpatum esse dicat propterea quod nusquam in Aeschyli tragoediis dativus attractus reperiatur. Sed, ne in re apertissima nimium longus sim, jure ac merito ad unum omnes editores Hermanni conjecturam aspernati et scholiastae vestigia

secuti[25]) post λελιμμένοι participium interpunctionis signo posito versum sequentem interrogationis loco habuerunt. Quae vero forma pronominis interrogativi ponenda sit, quum inter eos parum constet, nunc quam fieri poterit brevissime disceptabo. Ac primum quidem conjecturae Dindorfii ponentis, quod in margine codicis Medicei recentiore manu additum est, τίν', officit, quod τίνα neutrum pluralis apud tragicos in usu fuisse non videtur. Nam Soph. Trach. v. 1203 τίν' εἶπας; tantum in Harlejano est, quum Laurentianus praebeat, quod editores recte receperunt τί εἶπας; atque etiam Eur. Phoen. v. 878 τίν' οὖν tantum Porsoni inventum est, pro quo nunc recte legitur τί οὖν. Nihilo magis iccirco hoc loco Weilii scriptionem τί ἐκ τῶνδ' probaverim. Tragici enim hiatum sibi permiserunt non ut comici ante vocalem brevem, sed tantum ante vocalem longam aut diphthongum[26]). Atque Aeschylus quidem, id quod potissimum huc facit, eum non admisit nisi in formula τί οὖν; Pers. 787. Sept. 208. Suppl. 306. 704. Eum. 902. coll. Soph. Aj. 873. Phil. 100. Eur. Phoen. 878. Apud Sophoclem bis obtinet in locutione τί εἶπας; Phil. 917. Trach. 1203. Recte autem Erfurdtius et Hermannus[27]) δ' particulam inseruerunt Phil. v. 733 τί δ' ἔστιν, ut libris tradita est Phil. v. 751 et 896. Neque alia medela huic loco adhibenda videtur nisi haec, ut δ' particula post τί inseratur: quae conjectura, quam etiam Heimsoethio[28]) placuisse video, non solum tragicorum usui convenit, qui formula τί δέ pariter atque hoc loco usi sunt saepissime[29]), sed etiam ab hac re fulcrum accipit, quod in Mediceo post τί, quae est scriptura prioris manus, litura est, ex qua colligere licet aliquid excidisse. Atque hanc emendationem ut probabiliorem

[25]) Schol. τί δεῖ ὑπονοῆσαι ἐκ τούτων ἢ πένθη καὶ συμφοράς; Med. pr. m. τί' ἐκ.

[26]) Non audiendus est Porsonus, qui ad Eur. Phoen. v. 878 hatum post τί a tragicis admissum esse negavit; ac ne illud quidem ab omni parte verum est quod Hermannus dixit (epit. doctr. metr. ed. II. § 81): „τί ἔστιν; τί οὖν; περὶ ἐμοῦ, a quibus tamen tragici abstinere videntur."

[27]) Hermanni retractt. adnot. ad Soph. Phil. 1841, p. 11.

[28]) Cf. Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus p. 289.

[29]) Cf. Aesch. Prom. 932. 933. Sept. 804. 806. Soph. Aj. 208. Ant. 39. Phil. 751. Oed. Col. 1678. Elmsl. ad Eur. Bacch. 653.

judicem quam quod Kayser, Enger, Prienius scribere voluerunt ποῖ, illud potissimum me permovet, quod τί δ', ut a librorum auctoritate majorem commendationem habet, ita huic loco egregie aptum est, aegerrimeque dispicitur, quomodo ποῖ e libris moveri et in τί mutari potuerit. Id vero opus non est, ut in antistrophi versu 368. παγκλαύτων libris traditum in πανοίκτων vel simile adjectivum, quod primam habet correptam, cum Heimsoethio mutemus. Nam polyschematismum qui dicitur ne ab jambicis quidem strophis Aeschyli et Euripidis alienum fuisse documento sunt loci: Pers. v. 1038

δίαινε δίαινε πῆμα· πρὸς δόμους δ' ἴθι.

v. 1046 ἔρεσσ' ἔρεσσε καὶ στέναζ' ἐμὴν χάριν.

Suppl. v. 808 ἴυζε δ' ὀμφὰν οὐράνια

v. 817 γένος γὰρ Αἰγύπτιον ὕβριν

Cho. v. 428 κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα

v. 450 τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν γράφου.

Eur. Alc. v. 220 ὦναξ Παιάν.

v. 233 ἰδοὺ ἰδού[30].

Haec habui de hoc loco quae dicenda existimarem.

Itaque nunc in medium proferantur Eum. v. 95 sq., qui e conjectura Tyrwhitti et Wakefieldii speciosa quidem illa, sed non vera nunc ita scribi solent

ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη
ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν, ὧν μὲν ἔκτανον
ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,

quum libri pro ὧν genetivo ὡς particulam exhibeant, quam unus O. Mueller defendere suscepit quamque ego, etsi Muelleri defensio gravem tulit Hermanni reprehensionem,[31]) retinendam duco.

Ac primum quidem quod Hermannus et Weilius conjecturae ὧν fulcrum in scholiastae Med. adnotatione positum esse dixerunt, id tantum abest ut pro vero habeam, ut librorum scripturam ab illa patrocinium accipere putem. Sunt verba scholiastae haec: ὑπὲρ ὧν ἐφόνευσα Ἀγαμέμνονα, ἀπώσασθε καὶ οἱ ἐμὲ φονεύσαντες οὐκ ἀτιμάζονται. παιδευτικὰ δὲ ταῦτα. τὸ γὰρ τοὺς ἐναγεῖς καὶ μετὰ θάνατον ὑπὸ νεκρῶν ἀτιμάζεσθαι ἱκανῶς ἔχεται παιδεύσεως. Ex quibus quomodo Hermannus

30) Cf Rossb. et Westphal. art. metr. III. p 213.
31) Cf recens. edit. Muellerian. Eum. p. 26.

scholiastam ὧν legisse concludere potuerit, equidem non video. Nam verba initio posita ὑπὲρ ὧν ἐφόνευσα Ἀγαμέμνονα, ἀπώσασθε nihil aliud significare possunt nisi: *rejecistis me propterea quod Agamemnonem occidi.* Formula ὑπὲρ ὧν manifesto idem significat atque quae saepius occurrit ἀνθ᾽ ὧν neque ob aliam causam a scholiasta posita videtur, quam ut ὡς particulam ab Aeschylo usurpatam explicaret. Ac ne in sequentibus quidem verbis παιδευτικὰ δὲ κτλ. quicquam inest quo verba ὧν ἔκτανον ὄνειδος recte scribi credamus hac significatione: *opprobria eorum quos interfeci* (i. e. Agamemnonis). Nihil enim aliud scholiasta dicit quam hoc, velle Aeschylum audientium mentibus mandare ἐναγεῖς i. e. homines qui caedis culpa se maculaverunt, ne in Orco quidem a mortuis ullo honore haberi. Sed ut nullam a scholiastae interpretatione commendationem habeat scriptura ὡς, vel propter sensum praeferenda est. Cardo enim rei, ut Mueller recte animadvertit, non in hac re vertitur, quod Agamemnonem a se occisum dicit Clytaemestra, sed quod omnino caedis crimine se contaminavit. Immo vero contra rem suam ea faciebat pronomine rel. ὧν indicans quem interfecisset fuisse maritum suum, quippe quae crimen suum eodem loco haberi vellet atque necem cujusvis generis, Orestis autem facinus ut matricidium majore supplicio dignum. Quam vero Hermannus inter ὧν i. e. Agamemnonem et τῶν φιλτάτων i. e. Orestem statuit aequabilitatem, ea mihi ad nihilum redire videtur, siquidem caedem perpessus est Agamemno, Orestes perpetravit. Componi non poterant nisi Orestis et Clytaemestrae facinora. Quod vero gravissimum est ad ὡς particulam tuendam, enuntiata interposita si omittimus, efflorescit quodammodo duorum membrorum oppositio conjuncta cum exaggeratione aptissima:

ὡς μὲν ἔκτανον, ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,
παθοῦσα δ᾽ οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων
οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται.

(Quod ego interfeci, hoc mihi vel in orco opprobrio vertitur; quod vero interfecta sum a filio, id nulli deorum curae est.) — Jam ut ὡς particulae rationem reddam grammaticam, non, quae fuit opinio Muelleri, ab ὄνειδος substantivo, sed a tota locutione ὄνειδός μ᾽ οὐκ ἐκλείπεται idem significanti atque ἀεὶ ὀνειδίζομαι ea suspen-

sa judicanda est, ut ὡς particula verbo ὀνειδίζεσθαι subjuncta est Xen. Mem. II. 9, 8 εἰ δέ τις αὐτῷ τούτων οἷς ἀπήχθετο ὀνειδίζοι, ὡς ὑπὸ Κρίτωνος ὠφελούμενος κολακεύοι αὐτόν.

Hic mihi occurrit Weilius qui significationem quam ego in ὡς particula, eandem in ὧν genetivo deprehendisse sibi visus est. Is enim ὧν genetivum generis neutrius esse ratus verba ὧν ἔκτανον ὄνειδος interpretatur ὧν ἔδρασα sive τοῦ φόνου ὄνειδος. At talis structura fines quibus attractionis usus non solum apud tragicos, verum etiam apud omnes qui ante annum CCCC. floruerunt scriptores circumscriptus tenetur, egreditur. Nihil huc facit locus, quo Weilius usus est adminiculo, Aristoph. Ach. v. 677

οὐ γὰρ ἀξίως ἐκείνων ὧν ἐναυμαχήσαμεν
γηροβοσκούμεσθ' ὑφ' ὑμῶν.,

quum qui in ὧν genetivo latet ἃ accusativus, objecti sit immanentis quod dicitur. Neque ad Weilii rationem tuendam sufficit locus, quem aliquis similem dixerit, Soph. Oed. R. v. 788 καί μ' ὁ Φοῖβος ὧν μὲν ἱκόμην ἄτιμον ἐξέπεμψεν.

Nam qui hoc loco genetivo ὧν absorptus judicandus est accusativus ἃ legitimus est post ἱκνεῖσθαι verbum ad id significandum quod actio veniendi spectavit, sibi voluit, propositum habuit [31]). Ea autem quae Aeschyli loco necessaria esset genetivi ὧν circumlocutio τούτων ὅτι Sophoclis loco adhiberi non potest. Talis vero accusativus pronominis rel. generis neutrius, qui totius enuntiati argumento una voce comprehendendo et praecidendo inservit, attractionis vi in genetivum mutatus apud scriptores qui ante belli Peloponnesiaci finem fuerunt, non extat nisi in certis quibusdam formulis, in quibus pronomen rel. cum praepositione structum in conjunctionis significationem abiit, quae sunt ἀνθ' ὧν, ἀνθ' ὅτου, ἐξ ὧν, ἐφ' ᾧ, ἐφ' ᾧτε. Cf. Soph. Ant. 1068 ἀνθ' ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω. Arist. Plut. 434 ἀνθ' ὧν ἐμὲ ζητεῖτον ἐνθένδ' ἀφανίσαι. Soph. Oed. Col.

[31]) Cf. Soph. Oed. Col. 1308 τί δῆτα νῦν ἀφιγμένος κυρῶ; ib. 1291 ἃ δ' ἦλθον, ἤδη σοι θέλω λέξαι, πάτερ. Oed. R. 1005. Arist. Plut. 966. Similis est usus comicorum latinorum, apud quos haud raro occurrit id (quod, quid) veni, (reverti). Cf. Plaut. Mil. IV, 4, 22. Curc. II, 3, 60. Pseud. II, 2, 44. Amphitr. III, 2, 28.

967 ἀνθ' ὅτου τάδ' εἰς ἐμαυτὸν τοὺς, ἐμούς θ' ἡμάρτανον. Thuc. V. 9, 4 τοῦ ὑπαπιέναι πλέον ἢ τοῦ μένοντος ἐξ ὧν ἐμοὶ φαίνονται τὴν διάνοιαν ἔχουσι. III. 37, 2 οὐκ ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοί, ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἰσχύϊ μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε. Lys. or. 10, 14 οὐκ ἐξ ὧν εὖ πεποίηκας τὴν πόλιν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἀδικῶν οὐ δέδωκας δίκην, οἴει δεῖν πλεονεκτεῖν. Plat. Gorg. p. 512 ἐξ ὧν τὰ σαυτοῦ ἐπαινεῖς, τίνι δικαίῳ λόγῳ τοῦ μηχανοποιοῦ καταφρονεῖς; Idem attractionis genus obtinet in formula ὑπὲρ ὧν a scholiasta ad hunc locum usurpata (ὑπὲρ ὧν ἐφόνευσα Ἀγαμέμνονα, ἀπώσασθε). Vetustissimum autem testimonium ejusmodi attractionis admissae in genetivo qui non a praepositione, sed a nomine pendet, haberi potest locus Demosthenis or. 21, 3 δίκην βουλόμενοι λαβεῖν ὧν ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐτεθέαντο (Μειδίαν) θρασὺν ὄντα καὶ βδελυρὸν καὶ οὐδὲ καθεκτὸν ἔτι, sed ne is quidem prorsus certus, quum qui subaudiendus est accusativus ἅ pro objecto remotiore adjectivorum θρασύς, βδελυρός haberi possit [32].

Quae quum ita sint, quum Hermanniana explicandi ratio a sensu, Weiliana a linguae legibus offensionem habeat, jure ac merito hunc locum ab attractionis exemplis ablegasse mihi videor.

Non ego rectius ab Hermanno ὡς particula in ὧν genetivum mutata attractionem illatam esse censeo. Prom. v. 630 (629)

μή μου προκήδου μᾶσσον ὧν ἐμοὶ γλυκύ.

Namque supponere non licet quam ille supposuit structuram μή μου προκήδου μᾶσσον τούτων (i. e. ἢ ταῦτα) ἅ σε προκήδεσθαι ἐμοὶ γλυκύ. Nolo ego multum huic rei tribuere, quod apud tragicos nullum exemplum extat, in quo enuntiatio rel. attracta a comparativo pendeat. Nam sunt hujusmodi exempla apud scriptores qui illorum fere aequales fuerunt potissimumque apud comicos frequentissima. Cf. Antiph. or. IV, γ, § 4. Lys. or. 3, 24; 32, 8. Aristoph. Tagen. fr. I, 3 (Mein. fr. com. II, p. 1147), Alex. Λέβητ. fr. III, 5 (M. III, p. 438), Menand. Κεκρύφ. fr. I, 5 (M. IV, p. 147); fr. inc. 83, 1 (M. IV, 256); fr. inc. 171

[32]) Haec est sententia Buttmanni, cujus conferas adnotationem.

(M. IV, 272). Sosicrat. fr. III (M. IV, 592). Nolo illud magni facere quod enuntiationis rel. attractae, quae ab adverbio regitur, exempla sunt perquam rara. Nam ut nihil dicam de loco C. J. n. 3068 A, 8 (II. p. 661) *τιμηθεὶς ἀξίως ὧν εὐεργέτηκεν*, proxime ad Aeschylei loci similitudinem accedere videtur structura loci Alexidis *Παννυχ.* fr. II (M. III. p. 464)

τί μᾶλλον συμφέρει
ὧν νῦν φέρων πάρειμι.

Est autem similitudo speciosa potius quam vera; structuram ipsam utriusque loci si comparamus, mirum quantum discrepat. Quin etiam Alexidis locus idoneus est ad demonstrandum ab Aeschyleo loco attractionem alienam esse. Nam ut illo loco commode inter se conferuntur duo nomina *τί* et *ἃ νῦν φέρων πάρειμι* (i. e. *τὰ ὑπ' ἐμοῦ φερόμενα*), ita hoc, ut recte se haberet attractio, haec esse debebat structura: *μηδὲν προκήδου μᾶσσον* (*μᾶλλον*) *ὧν ἐμοὶ γλυκύ, nihil cura amplius quam quae te curare mihi dulce est.* Verumenimvero consentaneum non est modum curandi et rem ipsam ad quam cura spectat inter se comparare. Ut autem ex altera comparationis parte verbis *ἐμοὶ γλυκύ σε προκήδεσθαί μου* comprehensa apparet, summa totius comparationis non in eo quod cura spectat, sed in modo curandi posita est. Propter hanc offensionem equidem Hermanni conjecturam, quamquam Dindorfio placuit, reiciendam censeo. Ut Hermannus ipse eam in textum non reciperet, causa fuit non quod scrupulus de ejus veritate ipsius menti resedisset, sed quia Elmslejanam elegantiorem putavit. Reliqui editores, quamquam particulam comparativam necessariam esse recte senserunt, ad conjecturas confugerunt non probabiliores, quas nunc, ne anceps atque dubium de hoc loco relinquatur judicium, quam fieri poterit brevissime refutabo. Ac primum quidem *ἢ ὡς*, quae est scriptura interlinearis codicis Guelferbytani, probata non solum Turnebo, Brunckio, Bothio, sed nuperrime etiam Heimsoethio[33]), si auctoritatem respicimus, non majoris pretii quam cujusvis viri docti conjectura, si metricam rationem quaerimus, improbanda est, quippe quae legibus quibus Graeci poetae crasin ob-

---

[33]) Cf. Die indirekte Ueberlieferung des aeschyl. Textes, p. 40.

strinxerunt, adversetur. Formas enim verbi substantivi *εἶναι* si excipias, cum voce antecedenti per crasin non coire nisi voculas *ἄρα, ἄν, οὐ, ἐγώ*[34]) docuit Ahrensius.

Elmslei autem conjectura *μασσόνως ἤ 'μοι γλυκύ*, quam ipse (ad Eur. Heracl. v. 544) non magni se facere confessus est, digna visa est Hermanno, quam in textum reciperet, ut ego censeo, injuria. Nam forma *μασσόνως*, quamvis linguae legibus non obluctetur, nusquam extat, quodque majus est, neque apud Aeschylum neque apud eos scriptores, qui illum aetate praecurrerunt, exemplum mihi innotuit comparativi adverbii in *ως* syllabam desinentis. Ac ne apud Sophoclem quidem plus unum idque ab hoc loco valde diversum exemplum est *μειόνως* Oed. Col. v. 104 (*εἰ μὴ δοκῶ τι μειόνως ἔχειν*)[35]). Sed hoc ipsum concedatur Aeschylo licuisse ejusmodi comparativo uti: certe ab hoc loco alienus judicandus est, si recte se habet, ut videtur, quod praecepit Buttmannus gr. gr. § 115, 5: „Durch Anhängung der Endung *ως* an die Gradusformen des Adjektivs werden die Gradus des Adverbs seltner und besonders nur dann gebildet, wenn der Begriff der Art und Weise gehoben werden soll, z. B. *καλλιόνως* auf eine schönere Weise.“ Nam hoc loco non tam de ratione qua curam institui, quam de modo mensuraque quam ei poni vult Jo, agitur.

Nec vero his conjecturis feliciora fuerunt eorum conamina qui *ὡς* particulam libris traditam ita defendere studuerunt, ut idem atque *ὅτι* eam significare dicerent. Ac primum quidem explodenda est sententia scholiastarum ad verba *ὡς ἐμοὶ γλυκύ* infinitivum *ἀκούειν* vel *τοῦτο μαθεῖν* supplendum esse statuentium. An tu licere putas extrinsecus arcessere infinitivum, cujus neque in antecedentibus neque in sequentibus ullum sit vestigium? Quid vero opus est, dices, ad hanc inauditam ellipsin

---

[34]) Cf. Ahrens de crasi et aphaeresi, Stolbergae Hercynicae 1845, p. 5. Sorof de augmento in trimetris tragicis abjecto praemissa de crasi, elisione, aphaeresi quaestione, Vratislav. 1851.

[35]) Tria exempla sunt apud Euripidem, in quae Buttmanni l. l. praeceptum egregie quadrat: Heracl. 543 *ἀλλ' ἦ γένοιτ' ἂν ἐνδικωτέρως, φράσω.* Iph. Aul. 379 *βούλομαί σ' εἰπεῖν κακῶς αὖ — ἀλλὰ σωφρονεστέρως ὡς ἀδελφὸν ὄντα.* Hecub. 1121 *οὐκ ἀπώλεσ', ἀλλὰ μειζόνως.* Reliquorum scriptorum locos collegit Krueger ad Her. I, 122, 2 et ad Thuc. I, 130, 2.

confugere, quum ex enuntiato antecedenti μή μου προκήδου μᾶσσον accusativum cum infinitivo σὲ προκήδεσθαι supplere liceat per linguae leges. Ain' vero? etiam per sensum? An non hic contrarius exsistit ei qui requiritur? — At licet cogitatione supplere θράξαι σε φρένας ἐμάς ex verbis Promethei quae antecesserunt

φθόνος μὲν οὐδείς, σὰς δ' ὀκνῶ θράξαι φρένας.

Credo, Jo nihil gratius habuit, quam ut ipsius animus Promethei dicto dilaceraretur. Sed quid plura de his rationibus quae ferri possunt nullo pacto? Quid ergo? dicet quispiam, tu ὡς particulam mutabis? Ego vero nihil mutandum, immo vero quamvis mutationem non solum inutilem, sed etiam falsam judico. Nam etiam quae fere nulla est mutatio, si quis scribat ὥς, reprehensionem habet. Nam ὥς particula pro οὕτως tragici non fere usi sunt; quin etiam fuerunt qui eam nisi in formula οὐδ' ὥς apud illos in usu fuisse negarent[36]). Quamquam autem hi me quidem non habent assentientem, tamen illud silentio praetermittendum non est, quod ea nullo loco quo certa videtur parem structuram habet atque eo de quo nunc agimus[37]). Hic, nisi neglegentius scripsisse Aeschylum concedere volumus, pronomen demonstrativum τοῦτο requirendum est.

Jam, ut tandem ego quid statuam de hoc loco proferam, ὡς particulam librorum et scholiastarum consensu traditam ita defendendam censeo, ut eam significationem ἤ particulae comparativae induisse dicam. Jussit quidem Hermannus (ad h. l.) omnes locos in quibus ὡς particula comparativum sequitur mutari et corrigi, sed parum moderate. Alius sane generis est formula οὐδὲν μᾶλλον ὡς, qua usus est Polybius nonnullis locis, e quibus satis est protulisse unum, qui Aeschyleo similem speciem habere videtur XI, 2, 9 Ἀσδρούβας οὐδενὸς μᾶλλον προενοεῖτο κατὰ τοὺς κινδύνους ὡς τῆς αὑτοῦ σωτηρίας. Nam haec superlativi quandam circumlocutionem

---

[36]) Vide Matthiaeum ad Eur. Bacch. 1021. Ellendt. lex. Soph. II. p. 996. Apud Sophoclem non reperitur nisi οὐδ' ὥς Ant. 1042.

[37]) Aesch. Ag. 930 εἰ πάντα δ' ὡς πράσσοιμεν, εὐθαρσὴς ἐγώ. Eur. Hec. 888 ἀλλ' ὡς γενέσθω. Med. 584 ὡς καὶ σὺ μὴ νῦν εἰς ἔμ' εὐσχήμων γένῃ.

continet[38]) quae ab hoc loco prorsus aliena est. Nihilominus equidem cum Coraë[39]), Bekkero[40]), Schoemanno[41]), qui accuratissime hanc quaestionem retractavit, pro certo habeo ἤ particulam proprie syncriticam et ὡς parabolicam nonnunquam permutatas esse. Omitto locos in quibus syncritica pro parabolica posita est, collectos a Bekkero, atque etiam hujus de quo nos quaerimus generis longum est persequi omnes qui dubitationibus obnoxii sunt[42]). Exemplorum certorum primum profero locum Xenophanis, quem Athenaei (XII. p. 526 A) libri optimi sic exhibent

ἤεσαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε' ἔχοντες
οὐ μείους ὥσπερ χίλιοι εἰς ἐπίπαν.

Atque ut hic locus documento est hunc usum non post Aeschyli demum aetatem invaluisse, ita, ne eum ab Atticorum consuetudine alienum putes, sunt Aeschyli loco simillimi duo Lysiae or. VII, 12 *ἠγανάκτουν ἂν ἡγούμενος μᾶλλον λέγεσθαι ὥς μοι προσῆκε* et ib. § 31 *ἅπαντα προθυμότερον πεποίηκα ὡς ὑπὸ τῆς πόλεως ἠναγκαζόμην*, unus Demosthenis or. c. Aristog. I. § 53 p. 786 *τοῦτον οὐ τιμωρήσεσθε, ἀλλὰ καὶ μειζόνων ἀξιώσαντες δωρεῶν ἀφήσετε ὡς τοὺς εὐεργέτας*[43]), unus Platonis rep. VII. p. 526 C. *ἅ γε μείζω πόνον παρέχει μανθάνοντι καὶ μελετῶντι, οὐκ ἂν ῥᾳδίως οὐδὲ πολλὰ ἂν εὕροις ὡς τοῦτο*[44]). Nec vero non eidem generi tribuendum esse censeo locum Euripidis Hippol. v. 530

οὔτε γὰρ πυρὸς οὔτ'
ἄστρων ὑπέρτερον βέλος
οἷον τὸ τᾶς Ἀφροδίτας
ἵησιν ἐκ χερῶν
Ἔρως ὁ Διὸς παῖς.

---

38) Res contraria cernitur in Latinorum formula nihil aliud-quam.
39) Cf. ad Plut. Coriol. c. 36.
40) Monatsber. d. Berl. Akadem. d. Wiss. 1862. S. 162; Homer. Blätter. S. 314.
41) Lehre von den Redetheilen, Berlin 1862, S. 223—238.
42) Cf. Matth. gr. gr. § 455, c. Cf. Xen. Hell. II, 3, 16. Plat. Apol. p. 36 D.
43) Vide Schoem l. l. p. 236.
44) Cf. locos quos Schneider ad h. l contulit. Particulam *οὕτως* eiciendam censeo loco Plat. Apol. p. 36 D *οὐκ ἔσθ' ὅτι μᾶλλον πρέπει οὕτως ὡς τὸν τοιοῦτον ἄνδρα σιτεῖσθαι*, siquidem cum antecedenti *μᾶλλον* simul stare nequit.

Nam etiam hic comparativum ὑπέρτερον non ἤ particula, sed forma pronominis rel. οἷον sequitur.

Sed haec sufficiant ad ὡς particulam defendendam: illud unum addo, de hujus loci explicatione mecum consentire Meinekium[45]).

Atque haec quidem hactenus de genere locorum, a quibus attractio per viros doctos illata ableganda est. Nam de Weilii quidem conjectura quid attinet plura dicere? qui ad lacunam explendam post Cho. v. 144

καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατθανεῖν δίκην,

de suo addidit hunc versum:

τίνοντας ὧν ἔδρασαν ἀξίαν κακῶν.,

qui ab attractionis legibus nullam habet reprehensionem, etsi apud tragicos loci compares non reperiuntur.

Itaque nunc pergamus ad tertium genus locorum, qui ab attractionis exemplorum numero excerpendi sunt.

§ 5.

De genere locorum in quibus attractio mendosa librorum scriptura continetur.

Unus est locus hujus generis, quo attractio removenda est conjectura, Agam. v. 974 (941)

μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἂν μέλλῃς τελεῖν.

Quod ut statuam hac re permoveor, quod hoc loco attractionis leges quae fuerunt apud tragicos non una re violantur.

Abstinuerunt enim hi, ut supra exposui, attractione in formis pronominis rel. a τ litera incipientibus; abstinuerunt in enuntiationibus rell. quae futuro tempore, itemque iis quae conjunctivo ἂν particula addita continentur. Neutrius rei causa obscura est. Neque enim facile res futura, quippe quae incerta sit, ut nota necessaria atque essentialis, quam dicunt philosophi, nomini attribui neque ipsa per se notionem certam atque perfectam constituere potest. Justa igitur ratione non caret, quod non solum tragici, sed etiam Aristophanes, Herodotus, Thucydides, Hippocrates, Antiphon, Andocides, qui ante annum CCCC. floruerunt attractionem ab enun-

---

[45]) Cf. Philol. XIX, p. 237.

tiatis rell. tempore futuro comprehensis exulare jusserunt. Vetustissima hujus usus testimonia sunt Lysiae loci duo, atque hi ita constituti, ut causa et excusatio attractionis non difficilis sit ad inveniendum. Quorum prior est or. 10, 12 *τί γὰρ ταῦτα ὧν οὗτος ἐρεῖ διαφέρει;* in quo quid enuntiatione rel. *ἃ οὗτος ἐρεῖ* contineatur, non dubium atque incertum, sed ante oculos positum est, siquidem statim subicitur: *καὶ αὐτὸς μὲν Θέωνι κακηγορίας ἐδικάσω.* In aequabilitate et concinnitate orationis, cujus Lysiam studiosissimum fuisse scimus, attractionis causa posita est altero loco or. 31, 24 *εἰ ἐξ ὧν μὲν ἤδη ἡμάρτηκε μηδέποτε τιμωρηθήσεται, ἐξ ὧν δὲ μέλλει εὖ ποιήσειν ἤδη τετιμήσεται.* Sed etiam apud posteriores scriptores exempla id genus sunt rarissima dubitationibusque obnoxia[46]).

Nec vero causa alterius rei perspicua non est. Enuntiatione enim rel. conjunctivo *ἂν* particula addita aut optativo comprehensa tantum abest, ut nota nomini inhaerens et necessaria attribuatur aut notio per se certa ac fixa exprimatur, ut res condicionis loco extrinsecus modo accidens modo non accidens indicetur. Ac ne hujus quidem usus exempla sunt apud Herodotum et in reliquiis philosophorum et oratorum qui ante a. CCCC. floruerunt. Quod vero eum a tragicorum consuetudine alienum dixi, nihil me movet Soph. Trach. v. 399

Δηϊάν. ἦ καὶ τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας νέμεις;
Λίχ. ἴστω μέγας Ζεύς, ὧν γ' ἂν ἐξειδὼς κυρῶ.

Nam primum hic locus certus non est, siquidem *ὧν* genetivus ita explicari potest, ut structura Homerica *εἰδώς τινος* Sophocli ante oculos obversata dicatur. Sed nolo huic excusationi multum tribuere: ne opus quidem ea est. Trachiniarum fabulam ea qua nobis tradita est forma a Sophocle non compositam esse, sed plurimis interpolationibus a genuina virtute descivisse nunc fere omnes consentiunt, etsi de hac re litigant, sitne in illis manus poetae minoris an histrionis an grammatici

46) Attractio nulla est locis Pseudo-Hippocr. *περὶ φύσ. παιδ.* c. 29. (II. p. 516) *εἰ βούλεταί τις τοῖσι ἱστορίοισι, ὁκόσοισι μέλλω λέγειν, χρῆσθαι* et *περὶ γυναικ.* I. c. 68. (II. p. 598.) *διδόναι τῶν φαρμάκων τι ὧν ἐγὼ φράσω.*, quum in priore dativus *ὁκόσοισι* a *χρῆσθαι* infinitivo, in altero gen. *ὧν* a *τι* pron. pendeat.

agnoscenda[47]). Habet autem, id quod huc facit, haec tragoedia plura attractionis exempla, quae fines usus Sophoclei egrediuntur. Sed de hac re alias: nunc ut ad Aeschyli locum, a quo profecti sumus, redeamus, etiam tota sententia, qua Clytaemestra ad Jovem preces suas dirigit, (quae, si verba tradita sana sunt, sic reddenda est: *curae tibi sint quaecunque perfecturus es*), tam languida, tam jejuna est, ut de verborum integritate suspicio exoriri debeat. Sed priusquam quae eis medela afferenda sit quaeramus, sicut in reliquis locis fecimus, circumspiciendae sunt rationes aliae, quibus hic locus explicandus alicui videri possit. Forsitan enim quispiam dixerit: τελεῖν infinitivus cum μέλοι optativo conjungendus et qui in τῶνπερ genetivo delituit accusativus ab ipso μέλλειν verbo suspensus faciendus est. At structura μέλλειν τι neque ab Aeschylo neque a Sophocle usurpata est, sed hi μέλλειν verbum, nisi significat *cunctari*, sine infinitivo non struxerunt[48]). Alia autem hujus loci explicandi ratio in promptu non est.

His igitur difficultatibus circumvento mihi suppeditavit conjecturam Haasius v. cl., qua probata τῶνπερ genetivus attractione nulla optimum habet explicatum. Pro μέλλῃς enim is scribendum proposuit μέλῃ conjunctivum verbi μέλειν, quod genetivum regere solet. Atque hoc remedium per se lenissimum aliquid commendationis accipit etiam a scriptura Florentini, cui libro magna auctoritas tribuenda est, quoniam hic versus neque in Mediceo neque in scholiis servatus est. Conicere enim licet μέλῃ conjunctivum qui in hoc libro supra scripto οι legitur initio versus, inde ortum esse, quod oculus librarii ad μέλῃ sequentem formam verbi μέλειν aberravit, quae postea sive oscitantia sive consilio in μέλλῃς formam mutata est. Haud semel autem μέλειν et μέλλειν verba in libris manuscriptis permutata sunt. Loco huic simillimo, quo Haasius conjecturam confirmavit, Cho. v. 780

μέλει θεοῖσιν ὧνπερ ἂν μέλῃ πέρι.

---

[47]) Cf. Wunderi emendationes in Soph. Trach., Grimmae 1841. Bergk. praef. crit. edit. Soph. p. XXXV.

[48]) Cf. Wellaueri lex. Aesch. et Ellendt. lex. Soph. s. v. μέλλειν. Supplendus est infinitivus futuri πείσεσθαι etiam Aesch. Pers. v. 814 οὐκ ἐλάσσονα πάσχουσι, τὰ δὲ μέλλουσι.

Mediceus et Guelferbytanus habent *μέλλει* et *μέλλη*, itemque Soph. Trach. v. 950 librorum lectio *μέλλομεν*, orta illa quidem, ut videtur, ex *μέλλειν* infinitivo subsequenti, ab Hermanno in *μελόμεν'* mutata est.

Nunc autem ex hac conjectura vide quam aptus efflorescat sensus: ***Quarumcunque rerum curam geris, earum curam sic geras, ut eventum adducas.*** Genetivus *τῶνπερ* utriusque sententiae communis ad idem verbum *μέλειν* bis positum pariter relatus est: qua in re sicut in adjecto infinitivo epexegetico (*τελεῖν*) non sine causa postremum locum tenente inest, ut Haasius monuit, acumen quoddam sententiae, quo Jovis animus excitetur et quasi pungatur, ne in cura eventum non habente acquiescat. Orat quodammodo Clytaemestra, ut Jupiter *τελείου* nomini satisfaciat, quo eum compellaverat versu antecedenti

Ζεῦ Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει.

Verbum autem *μέλειν* bis positum haud vereor ne quem offendat. Verbo enim enuntiati primarii in secundario repetito apud tragicos nihil frequentius[49]). Exempla si quis requirit, eandem rem in *μέλειν* verbo accidisse videmus praeter locum Aeschyli, quem modo laudavi, duobus locis Sophoclis Ant. 1335

μέλει γὰρ τῶνδ', ὅτοισι χρὴ μέλειν.

Aj. 991 *τοὐδέ σοι μέλειν*
ἐφίεθ' ἁνὴρ κεῖνος, ὥσπερ οὖν μέλει.

Quae quum ita sint, quum haec conjectura non solum attractionis offensionem diluat, verum etiam sensui egregie conveniat, eam librorum scripturae praeferre non dubito.

Nunc quoniam locos Aeschyli, a quibus attractio abjudicanda fuit, proposuimus, superest ut tertium genus locorum in disputationem vocemus id, in quo attractio aperte omissa est.

---

[49]) Cf. Aesch. Eum. 679. Ag. 1288. Soph. El. 764. 791. Trach. 1235. Oed. Col. 273.

Caput III.

§ 6.

De locis in quibus attractio ab Aeschylo est omissa.

Excludendi sunt ab hac quaestione loci in quibus accusativus pronominis rel. ad accusativum aut nominativum nominis antecedentis, positum quidem illum aut cogitandum, referendus est. Nam in priore genere locorum, siquidem idem casus est, attractio omnino locum non habet; in altero autem genere attractio nunquam a Graecis adhibita est, propterea sine dubio quia discrimen inter casus subjecti et objecti majus est quam ut hi inter se commisceri possint. Itaque in hanc quaestionem ii tantum loci cadunt, in quibus accusativus pronominis rel. ad nomen substantivum genetivo aut dativo positum relatus est. Nam illud quidem genus locorum apud Aeschylum deest, in quo enuntiatio rel. verbo comprehensa quod accusativum regit, non ad substantivum refertur, sed nominis substantivi vicibus fungens a nomine aut verbo pendet, quod genetivum aut dativum regit, quales sunt loci Soph. Oed. R. 346

καὶ μὴν παρήσω γ' οὐδὲν, ὡς ὀργῆς ἔχω,
ἅπερ ξυνίημι.

Eur. Bacch. 1272 *ὡς ἐκλέλησμαί γ', ἃ πάρος εἴπομεν, πάτερ.*

Eur. fr. 775, p. 473 *μνησθείς, ὅ μοί ποτ' εἶφ', ὅτ' εὐνάσθη θεός.*

Eur. Med. 748 *ὄμνυμι-ἐμμενεῖν, ἅ σου κλύω* [80]).

Jn iis autem qui huc pertinent locis enumerandis hunc ordinem sequi visum est, ut initium faceremus ab iis enuntiationibus rell. in quibus attractio nullo pacto adhiberi poterat, iisque subjungeremus eas, in quibus adhiberi potuit, non sine causa autem omissa est.

Unde igitur rectius ordiri possumus quam ab iis enuntiationibus quae forma tantum relativae, dignitate

---

[80]) Cf. Epicharm. fr. 27, ed. Lor. p. 262. (n. 114, p. 456 Ahr.) Mnesimach. *ἱπποτρόφ.* v. 21. (Mein. fr. com. III. p. 568.) Antiph. fr. inc. 127. (Muelleri fr. or. II. p. 239). Her. VIII, 103. Xen. Cyr. VII, 5. 80.

demonstrativae sunt? Cujus generis duo sunt apud Aeschylum loci, in quibus accusativus pronominis rel. non a verbo finito, sed a participio pendet:

Sept. v. 1018

ἄγος δὲ καὶ θανὼν κεκτήσεται
θεῶν πατρῴων, οὓς ἀτιμάσας ὅδε
στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν.

et Agam. v. 2 Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων,
φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην
ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν.

Utroque loco enuntiatione rel. non nota antecedentis substantivi, sed causa totius enuntiationis primariae continetur, ut ea enuntiatione demonstrativa γάρ particula causali addita circumscribi possit. Non desunt sane loci, in quibus qui debebat esse accusativus pronominis rel. a participio suspensus attractionis vi in genetivum aut dativum mutatus est, sed hi ab iis qui nobis propositi sunt prorsus diversi. Hujusmodi enim enuntiationes rell. ita constitutae sunt, ut participium et verbum finitum sejungi non queant, sed in unum coalescant, major autem vis in participio posita sit. Quod quo clarius perspiciatur, non abs re erit exempla proferre haec: Thuc. VII, 14, 1 ἀνάγκη ἀφ' ὧν ἔχοντες ἤλθομεν τά τε ὄντα καὶ ἀπαναλισκόμενα γίγνεσθαι (i. e. ἀφ' ὧν εἴχομεν ἐρχόμενοι). Alexid. Παννυχ. fr. II (Mein. III. p. 464)

τί μᾶλλον συμφέρει
ὧν νῦν φέρων πάρειμι (i. e. ὧν φέρω παρών).

Hippocr. νόμ. c. 26. (II. p. 27. Erm.) καταφαγεῖν ἄρτον ἢ κρέας ἢ ἄλλο τι ὧν οἱ ὑγιαίνοντες ἐσθίοντες ὠφελοῦνται. ibid. φαγών τι ὧν βοῦς ἢ ἵππος φαγὼν ὠφελοῖτο. C. J. n. 2335, 41 εἰς τὴν ἀπόδοσιν ὧν ἐπείσθη δούς. C. J. n. 2556, 10 (II. p. 411) ἐπὶ τᾷ χώρᾳ ᾇ ἑκάτεροι ἔχοντες συνθῆκαν ἔθεντο et quae longe frequentissimae sunt formulae in titulis, τῆς εὐνοίας (καλοκἀγαθίας, φιλοδοξίας) ἧς ἔχων διατελεῖ, ἐπὶ τῇ προαιρέσει ᾗ ἔχων διατελεῖ C. J. n. 1457. n. 2268, 11. 2271, 40. 2347, 46 et 52. 2374, e, 32. 2377, 5. 3066, 23. 3068. B, 20. 3595, 34. 4677, 5. 5131, 3. 5752, 21. Neque alii generi tribuendus est locus Soph. Trach. 399 ὧν γ' ἂν ἐξειδῶς κυρῶ, si certa est attractio. (vid. p. 34.)

Sed nolo diutius in hoc genere locorum versari: satis docuisse mihi videor Aeschyli locos, quos nos in quaestionem vocavimus, ab his mirum quantum discrepare.

His adjungo locum in quo accusativus pronominis rel. pariter ad verbum finitum atque ad participium pertinet, Pers. 61 τοιόνδ' ἄνθος Περσίδος αἴας
οἴχεται ἀνδρῶν,
οὓς πέρι πᾶσα χθὼν Ἀσιᾶτις
θρέψασα πόθῳ στένεται μαλερῷ
τοκέες τ' ἄλοχοί θ' ἡμερολεγδὸν
τείνοντα χρόνον τρομέονται.

Attractio adhiberi non potuit, non solum quia enuntiatio rel. majorem habet ambitum, quam ut unius nominis vicibus fungatur, sed etiam quia, dignitatem si spectamus, enuntiationi antecedenti non subicienda, sed cum ea copulanda et conjungenda est.

Non rectius sese haberet attractio altero Persarum loco v. 43

ἁβροδιαίτων δ' ἕπεται Λυδῶν
ὄχλος, οἵτ' ἐπίπαν ἠπειρογενὲς
κατέχουσιν ἔθνος, τοὺς Μιτρογάθης
Ἀρκτεύς τ' ἀγαθός, βασιλῆς δίοποι,
καὶ πολύχρυσοι Σάρδεις ἐπόχους
πολλοῖς ἅρμασιν ἐξορμῶσιν
δίρρυμά τε καὶ τρίρρυμα τέλη
φοβερὰν ὄψιν προσιδέσθαι.

Causarum enim plurimarum unaquaeque tanta est, ut attractio ab hoc loco excludatur. Ac primum quidem enuntiatio rel. a nomine Λυδῶν, ad quod referenda est, pluribus vocibus sejuncta est, quam ut cum eo in unum conflari possit. Tum forma pronominis rel. τούς indicatur enuntiatum propius esse demonstrativo quam relativo, nec quicquam impedit quominus post ἔθνος vocem interpunctionis signo posito enuntiationem rel. separatim struamus. Sed etiam ambitum et argumentum enuntiationis rel. ejusmodi esse apparet, ut ad unius nominis formam redigi non queat. Denique ne nomen quidem ad quod enuntiatio rel. pertinet tale est, ut ad intellectum suum necessario requirat quo accuratius definiatur, sed per se satis claram ac distinctam notionem habet. Hinc perspicitur, quae causa sit cur in enuntiatione rel. ad nomen proprium relata attractio nunquam obtinuerit.

Cf. Soph. Phil. 977. Eur. Hel. 639. Herc. Fur. 10. Suppl. 645. Alc. 11. Heracl. 151. Arist. Ach. 300. Her. V, 113. II, 43, 1. V, 30, 1.

Jam nos vocat locus quintus Suppl. v. 265 (252)

Ἆπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ πέρας Ναυπακτίας
ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος χθόνα
τήνδ' ἐκκαθαίρει κνωδάλων βροτοφθόρων,
τὰ [51]) *δὴ παλαιῶν αἱμάτων μιάσμασι*
χρανθεῖσ' ἀνῆκε γαῖα μηνιαῖ' ἄχη,
δρακονθόμιλον δυσμενῆ ξυνοικίαν.

Qualia sint *κνώδαλα* quum attributo *βροτοφθόρα* significatum sit, enuntiatio rel. ut nomen *κνωδάλων* intellectum haberet necessaria non fuit, sed separatim struenda et quum nihil aliud nisi originem illorum monstrorum describat, enuntiatione demonstrativa addita *γάρ* particula circumscribenda est: *ταῦτα γὰρ ἀνῆκε γαῖα.*

Eandem fere indolem habet Ag. v. 642 (620)

ὅταν δ' ἀπευκτὰ πήματ' ἄγγελος φέρῃ,
πόλει μὲν ἓν τὸ δήμιον τυχεῖν,
πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων
ἄνδρας διπλῇ μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ,
δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα.

Nam hic quoque enuntiatio rel. *τὴν Ἄρης φιλεῖ* non praedicatum cum *μάστιγι* nomine necessitudinis vinculo conjunctum continet, sed rationem reddit, cur *διπλῇ μάστιγι* dicantur *πολλοὶ ἐξαγισθέντες δόμων ἄνδρες.* Itaque ne hic quidem vis causalis enuntiati rel. *τὴν Ἄρης φιλεῖ* (i. e. *ταύτην γὰρ Ἄρης φιλεῖ*) et demonstrativa significatio formae pronominis rel. a *τ* litera incipientis obscura est. Attractio si esset adhibita hoc loco, exstitisset oppositio justa ratione destituta inter flagellum a Marte amatum et alia flagella.

Neque injuria omissa est attractio in Septem fabulae versu 553 (534)

ἔστιν δὲ καὶ τῷδ', ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα
ἀνὴρ ἄκομπος.

Τῷδε enim pronomine demonstrativo quin Parthenopaeus significetur dubium esse non potest, siquidem in

---

[51]) Injuria Dindorfius Medicei scripturam *τά* in *ἅ* mutavit. Cf. Suppl. v. 699 *τὸ δάμιον, τὸ πτόλιν κρατύνει.*

hujus persona describenda tota antecedens nuntii oratio inde a v. 526. versata est. Eteocles autem illum pronomine demonstrativo indicasse non satis habens addit ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα, quum verba respiciat quibus nuntius Parthenopaeum descripserat (v. 527)

Παρθενοπαῖον Ἀρκάδ', Ἀταλάντης γόνον.

Nempe in memoriam revocare vult superbam Parthenopaei jactationem, quo acrior exsistat oppositio inter hunc (ὃς οὐκ ἀκόμπαστός γ' ἐφίσταται πύλαις v. 540) et Actorem qui ei adversarius est constitutus (ἀνὴρ ἄκομπος, χεὶρ δ' ὁρᾷ τὸ δράσιμον). — Ut autem hic, ita reliquis quoque locis, quibus pronomen demonstrativum ὅδε per se constans substantivi partes tenet, ab enuntiatione ad illud relata attractio afuit. Cf. Soph. Aj. 255. El. 441. Ant. 666. Eur. Hel. 896. Idem cadit in eas enuntiationes rell. quae ad pronomen personale referuntur, ut Soph. Phil. 977. Eur. Tro. 902. Hippol. 1061.

Nec vero non idoneam causam habuit Aeschylus, ut accusativum, non genetivum pronominis rel. usurparet, Pers. v. 920 (901)

ὀτοτοῖ, βασιλεῦ στρατιᾶς ἀγαθῆς
καὶ Περσονόμου τιμῆς μεγάλης,
κόσμου τ' ἀνδρῶν,
οὓς νῦν δαίμων ἐπέκειρεν.

Enuntiatione rel. non nota nomini ἄνδρες inhaerens, sed causa lamentationis continetur. Itaque hac licet circumlocutione uti: *fuit decus virorum, nunc vero eos demessuit deus; fuerunt ἄνδρες, nunc sunt νεκροί.* Attractio omissa aeque atque νῦν particula adjecta indicant enuntiationem rel., ut quae antecedentibus opposita sit, a vi et dignitate enuntiationis primariae non multum abesse. Fac vero Aeschylum scripsisse κόσμου τ' ἀνδρῶν ὧν δαίμων ἐπέκειρεν: num sensus incolumis remanebit? Minime vero. Enuntiatio rel. dignitate enuntiationis per se constantis destituta attributivam vim induet neque alia erit sententia nisi haec: *O decus eorum quos deus demessuit virorum.* Est autem lex constanter a poetis tragicis servata, ut attractionem exulare juberent ab enuntiationibus rell. quae notionem nominis non describunt, sed paene tollunt et diluunt ita, ut illud perditum et deletum esse exprimant. Cf. Aesch. Eum. 605. Soph.

El. 408. 441. Eur. Hec. 1051. Suppl. 274, Andr. 570. Tro. 1080. Or. 121. El. 1002. Herc. Fur. 967. Rhes. 945.

Cum hoc loco cognatus est Eum. v. 605 (595)

οὐκ ἦν ὅμαιμος φωτός, ὃν κατέκτανεν.

Nam hic quoque enuntiatio rel. cum *φωτός* genetivo nominis non in unum conflanda, sed ab eo separanda est. Qui enim *φώς* intellegendus sit, satis elucet e versu antecedenti: *ἀνδροκτονοῦσα πατέρ' ἐμὸν κατέκτανεν.* Summa totius enuntiati sic reddenda est: *occidit sane virum, sed cujus consanguinea non esset.* Scilicet haec est sententia Erinnyum non penes se esse ultionem Clytaemestrae, quippe quae non consanguineum occiderit. Itaque enuntiatio rel. *ὃν κατέκτανεν* causae adversativae, quam dicunt, vim habet. Contra, si Aeschylus scripsisset, quod per metrum licuit, *οὐ κατέκτανεν*, haec esset sententia: *viri interfecti non erat consanguinea.*, qua de enuntiationis rel. dignitate multum detractum fore jam non est quod pluribus exponam.

Agmen exemplorum cogat Eum. v. 514 (509)

ταῦτ' ἔστ' ἀληθῆ· πολλὰ δ' ἐκλείπω λέγων
κακῶν, ἃ Πέρσαις ἐγκατέσκηψεν θεός.

Ac ne hic quidem necessitas enuntiationis rel. adiciendae in antecedenti nomine posita est, sed ea in se ipsa causam cur addatur habet. Quae enim *κακά* sint, iis quae antecesserunt extra omnem dubitationem vocatum est. Sed hoc ipsum non exigui momenti est, ut in fine narrationis judicium de causa et origine malorum quae modo persecutus est nuntius proferatur. Apte horum verborum sensus sic redditur: *multa praetermitto mala, hoc vero unum addo, a deo ea Persis inflicta esse.* Nonnihil habet similitudinis locus Lysiae or. 12, 96 *ἀναμνήσθητε δὲ καὶ τῶν ἄλλων κακῶν, ἃ πεπόνθατε ὑπ' αὐτῶν.*

Sed haec hactenus de locis in quibus est accusativus pronominis rel. ad genetivum aut dativum nominis substantivi relatus.

Quoniam igitur locos singulos in quibus Aeschylus attractionem aut admisit aut omisit percensuimus, superest, ut ex iis quae hucusque proposuimus summam faciamus.

Caput IV.

§ 7.

Attractionis usus qualis apud Aeschylum fuerit.

De attractionis usu Aeschyleo ut justum certumque fiat judicium, duo quaerenda sunt, priore loco numerus, deinde natura atque indoles exemplorum.

Atque ut a numero ordiar, patet Aeschylum attractionem non crebro adhibuisse, nedum eam in deliciis habuerit. Nunquam ea usus est locis epicis et lyricis, sed ne in dialogo quidem qui circiter quatuor millibus quadringentis[52]) trimetris continetur, amplius octo sunt exempla: unde efficitur versum quemque quinquentesimum quinquagesimum unum attractionis exemplum exhibere. Cujus rei causam si quaerimus, non audiendus est Krausius[53],) quum dicit Aeschylum ut qui gravitate tantum verborum et sententiarum homines admonere et incendere velit neglectis amplis orationis artificiis, illud orationis conglutinandae adjumentum aspernatum esse. Tantum enim abest ut attractio sit quasi ornamentum et condimentum, quo asperso, ut ait Quintilianus (IX, 3, 3.), jucundior fiat oratio, ut unice logicae artis legibus inserviat totaque a dignitate enuntiationis rel. pendeat. Aeschylus attractionem neque reformidavit neque aspernatus est: nam nullus est apud eum locus in quo ea quum necessaria aut praeferenda fuerit, neglecta dici possit. Causa longe alia haec est, quod attractio Aeschyli aetate nondum viguit ac floruit, sed florescere usuque recipi coepta est. Nulla enim ejus testimonia in literarum monumentis bello Persico vetustioribus reperiri supra (p.1.) docui. Incrementa autem quae ipsa Aeschyli aetate pedetentim ceperit attractio, etiam nunc cognoscere licet, si singulas ejus tragoedias quo se exceperunt temporis ordine perlustramus. In Persis enim fabula vetustissima, quam anno 473 actam esse scimus, nullum est exemplum; nullum in Supplicibus, quas anno 461 scriptas esse paene evidens conjectura est Boeckhii. Vetustissimum est exemplum in Septem fabula, quam circiter anno 460 in scenam delatam esse suspicati sunt viri docti haud improbabiliter, idque longe simplicissimum, siquidem enun-

[52]) Numeravi ego in septem tragoediis 4073, in fragmentis 320 trimetros.

[53]) Cf. de attr. l. l. p. 17.

tiatio rel. (ὧν φρονοῦσι) nihil praeter pronomen rel. et verbum finitum continet; duo sunt in Agamemnone, unum in Choephoris, unum in Eumenidibus, quas fabulas anno 458 ab Aeschylo doctas esse constat; tria denique sunt in Prometheo fabula recentissima, quae poetae minoris retractantis manum experta videtur. Atque harum quidem quatuor fabularum locis plerisque enuntiatio rel. attracta praeter verbum finitum etiam subjectum nomine comprehensum aut adverbium habet, ut *οὐδὲν ὧν χρήζει πατήρ, πρὸς ἀρίστοισιν ὧν ἔχει πόλις, φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι τορῶς, οὐδὲν ὧν ἀνιστορεῖς ἐμέ.* Idem ut planius intellegatur, numeris utemur: semel attractio reperitur in trimetris 540, qui sunt in Septem fabula, semel in Choephorum 556, semel in Eumenidum 584, bis in Agamemnonis 870, ter in Promethei 670 trimetris. In Septem fabula versus quisque 540., in Orestia 500., in Prometheo 220. unum attractionis exemplum praebet.

Etiam magis perspicuum fiet, quemadmodum attractionis usus paulatim increbuerit, si Aeschyli usum cum Sophocle comparaverimus. Apud hunc enim 50 sunt attractionis exempla atque ea quidem exceptis tribus in trimetris 8340.[84]) Quoniam igitur versus quisque 178. unum attractionis exemplum habet, efficitur apud Sophoclem numerum exemplorum duabus partibus majorem esse quam apud Aeschylum.

Sed etiam in Sophoclis tragoediis continuum licet animadvertere progressum. In fabulis enim quae primae ejus aetatis periodo tribuendae sunt, Ajace et Antigona singula attractionis exempla continentur versibus 640, in iis vero quae alteri assignandae sunt periodo, versibus 140, in recentissimis denique, Philocteta et Oedipo Coloneo, versibus 120. Atque etiam in Sophoclis fabulis vetustioribus attractionem non solum rariorem, sed etiam artioribus finibus circumscriptam fuisse quam in posterioribus multa sunt indicia: illud vero insignius est quam ut praeteriri liceat, quod in d a t i v o pronominis rel. per attractionem posito cernitur. Hujusmodi enim exempla in Ajace et Antigona pariter atque in Aeschyli fabulis desunt, in fabulis mediae

[84]) In septem tragoediis sunt 7540, in fragmentis 805 trimetri.

aetatis sunt duo (El. 177. Oed. R. 351), in postremis septem (Phil. 907. 1012. Oed. Col. 478. 334. 1412).

Huic autem rei, quod attractionis usus pedetentim longius progreditur, egregie illud convenit, quod numerus earum enuntiationum rell. a quibus attractio abest imminuitur. Apud Aeschylum enim hoc genus enuntiationum rell. quod ante bella Persica unice usitatum fuit, paulo crebrius occurrit altero, siquidem decem sunt exempla attractionis omissae, octo admissae; contra apud Sophoclem ne dimidiam quidem partem enuntiationum rell. attractarum (quinquaginta) efficiunt eae a quibus attractio afuit (viginti tres). Atque etiam harum usum paulatim decrescentem per singulas Aeschyli tragoedias persequi licet: habes enim ejusmodi exempla in Persis quatuor, in Septem et Agamemnone bina, in Supplicibus et Eumenidibus singula, in Choephoris et Prometheo nulla.

Atque de numero quidem exemplorum hactenus. Deinceps, ut erat propositum, de natura atque indole enuntiationum rell. attractarum videamus.

Lege quae a scriptoribus qui ante Alexandri Magni aetatem floruerunt omnibus constanter servata est, etiam Aeschylus se adstrinxit, ut attractionem in iis tantum enuntiationibus rell. admitteret, quae cum voce enuntiationis primariae necessitudinis vinculo constrictae essent ita ut aut nomini attributum adjungerent non praetermittendum aut substantivorum vicariae a voce unde penderent necessario requirerentur. Quod si non fit enuntiatioque rel. tantam dignitatem habet, ut re quidem per se constare possit formamque tantum relativam induerit, apud Aeschylum aeque atque apud reliquos scriptores attractio perpetuo abest. In iis autem quae Aeschyli propria fuerunt exponendis, ut ab attributivo genere enuntiationum rell. attractarum exordiar, nomen ad quod enuntiatio rel. refertur, semper nomen appellativum est, quod rem significat. Latius patet usus apud Sophoclem et Euripidem, quippe qui non solum nomini substantivo quod personam indicat, sed etiam pronomini demonstrativo substantivi vicario enuntiationem rel. attractam subjunxerint. Prioris generis exempla habes haec: Trach. 241

(χώραν γυναικῶν ὧν ὁρᾷς ἐν ὄμμασιν). Oed. Col. 334 (ξὺν ὧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ). Eur. Or. 1409 (πρὸς θρόνους ἔσω μολόντες ἃς ἔγημ' ὁ τοξότας Πάρις). Alterum accidisse vides his locis: Soph. Oed. R. 148 (τῶνδε γὰρ χάριν καὶ δεῦρ' ἔβημεν ὧν ὅδ' ἐξαγγέλλεται). El. 431 (τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν). Eur. Hec. 759 οὐδέν τι τούτων ὧν σὺ δοξάζεις. Chrysipp. fr. 837 λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς. Ad nomen proprium relatam enuntiationem rel. ab attractione abhorrere supra (p. 39) monui.

Atque ut apud Aeschylum dignitas enuntiationis rel. hac re servata est, quod substantivo ad quod refertur succedit, ita apud Sophoclem et Euripidem magis adjectivi loco haberi coepta est, quum nonnunquam substantivo anteponeretur, ut Soph. Trach. 680 (ἐγὼ γὰρ ὧν ὁ θήρ με προὐδιδάξατο παρῆκα θεσμῶν οὐδέν), aut inter nomen unde genetivus substantivi pendet et ipsum genetivum insereretur, ut Soph. El. 873 (ἀνάπαυλαν ὧν πάροιθεν εἶχες καὶ κατέστενες κακῶν). Eur. Or. 1409 (πρὸς θρόνους ἃς ἔγημ' ὁ τοξότας Πάρις γυναικός.) Hec. 1268 (οὐκ ἔχρησεν οὐδὲν ὧν ἔχεις κακῶν). Phrix. fr. 832 (τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἔρξεν[55]) κακῶν), aut inter adjectivum et genetivum substantivi poneretur, ut Soph. El. 763 (μέγιστα πάντων ὧν ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν).

Substantivum genus enuntiationum rell. attractarum apud Aeschylum duplex est, quum eae aut a nomine aut a verbo pendeant; tertium genus id, in quo enuntiatio rel. a praepositione pendet, primus adhibuit Sophocles locis his: Oed. Col. 1489 (ἀνθ' ὧν ἔπασχον εὖ). Ant. 1068 (ἀνθ' ὧν ἔχεις). Phil. 908 (ἐν οἷς γε δρᾷς· ἐν οἷς δ' αὐδᾷς ὀκνῶ). Prioris generis duae species sunt, siquidem enuntiatio rel. aut a substantivo aut a pronomine οὐδέν pendet. Tertiae speciei, in qua enuntiatio rel. ab adjectivo regitur, ab Aeschylo nondum usurpatae exempla habes apud Sophoclem duo: Oed. R. 788 (ὧν μὲν ἱκόμην ἄτιμον ἐξέπεμψεν) et Oed. Col. 778 πλήρη δ' ἔχοντι θυμὸν ὧν χρῄζεις[56]). Sed etiam

[55]) ἔρξεν, non quod nunc scriptum est ἦρξεν, recte se habet.
[56]) χρῄζεις indicativum e Laurentiano A reponendum censeo pro χρῄζοις optativo.

in iis generibus quae utriusque poetae communia sunt latius patet usus Sophoclis. Aeschylus enim hanc legem secutus est, ut enuntiationem rel. attractam vocabulo regenti ipsi nulla voce inserta aut anteponeret aut postponeret. Nam Eum. v. 574 *ὧν ἔχεις αὐτὸς κράτει* pronomen *αὐτός* a *κράτει* imperativo separari non potest, sed cum eo quasi in unum confluit (*αὐτοκράτωρ ἴσθι*). Sophocles vero haud raro enuntiationem rel. attractam a nomine aut verbo unde pendet una aut pluribus vocibus interjectis sejunxit, ut Oed. Col. 1145 (*ὧν γὰρ ὤμοσ᾽ οὐκ ἐψευσάμην οὐδέν σε*). ib. 991 (*ἓν γάρ μ᾽ ἄμειψαι μοῦνον ὧν σ᾽ ἀνιστορῶ*). Oed. R. 862 *οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ᾽ ἂν ὧν οὐ σοι φίλον.*

Venio nunc ad singulas partes enuntiationis rel. attractae. Atque ut a forma pronominis rel. exordiar, Aeschylus attractionem ablegavit a formis pronominis rel. quae a *τ* litera incipiunt, item a pronominibus *ὅσπερ, ὅστις, ὅσος, οἷος* [57]; sed ne in formis quidem pronominis *ὅς*, unum si excipimus locum, in quo *ἧς* est, Cho. 741 (*φήμης ὑφ᾽ ἧς ἤγγειλαν*), eam admisit nisi in *ὧν* genetivo generis neutrius. Etiam hos fines egressus est Sophocles, quum attractioni non solum in *ὧν* et *ὧνπερ*, genetivis masculini et feminini generis, sed etiam in dativis *οἷς* et *ᾧπερ* locum dedit.

Accusativus pronominis rel. qui debebat esse, absorptus genetivo, apud Aeschylum est objectum verbi transitivi; in duobus aliis generibus, objecto immanenti et objecto mensurae, quae distinxit Haasius, attractio non obtinuit. Eisdem fere legibus se adstrinxit Sophocles, nisi quod duo apud eum sunt loci, in quibus attractio objecti immanentis sive interioris genere quodam potita est, Oed. R. 788 (*ὧν μὲν ἱκόμην ἄτιμον ἐξέπεμψεν*) et Oed. Col. 1489 (*ἀνθ᾽ ὧν ἔπασχον εὖ τελεσφόρον χάριν δοῦναι*). Non reperiuntur apud tragicos loci quales sunt Aristoph. Vesp. 907 *τῆς γραφῆς ἧς ἐγραψάμην.* Thuc. III, 67, 4 *ἀνταπόδοτε χάριν δικαίαν ὧν πρόθυμοι γεγενήμεθα.* Her. I, 106 *βασιλεύσας τεσσεράκοντα σὺν τοῖσι Σκύθαι ἦρξαν.*

---

[57]) *ὅστε* forma pronominis rel. apud tragicos non extat in trimetris. Vid. Ellendt. lex. Soph. II. p. 380.

Jam formam verbi quo enuntiatio rel. attracta continetur si spectamus, pronomen rel. nunquam a conjunctivo, nuuquam ab optativo, nunquam ab infinitivo aut participio cum verbo auxiliari structo apud Aeschylum pendet, ut aliquot locis Sophoclis (Oed. R. 862 *οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὧν οὔ σοι φίλον.* Phil. 1227 *ἔπραξας ἔργον ποῖον ὧν οὔ σοι πρέπον;*) et Euripidis (Andr. 1001 *δείξει γαμεῖν σφε μηδὲν ὧν ἐχρῆν ἐμέ.* Jon. 432. Or. 259. Temenid. fr. 735.), sed continetur enuntiatio rel. attracta indicativo temporis praesentis aut praeteriti. Verba autem enuntiationis rel. aeque atque apud Sophoclem et Euripidem solent esse verba *sciendi* et *habendi* cum factitivis et desiderativis *dicendi*, *orandi*, *dandi*. Alienam esse attractionem ab enuntiatis rell. quae verbis *delendi* et *interficiendi* continentur supra (p. 41.) docui.

Denique etiam in hac re Aeschylus attractionem angustissimis finibus circumscripsit, ut praeter verbum quo enuntiatio rel. attracta continetur nihil adderet nisi aut subjectum aut objectum nomine substantivo aut pronomine comprehensum, ut *πρὸς ἀρίστοισιν ὧν ἔχει πόλις, οὐδὲν ὧν χρῄζει πατήρ, οὐδὲν ὧν ἀνιστορεῖς ἐμέ, δικαίων ὧν ἐπραξάμην πόλιν.* Uno loco praeter subjectum verbo additum est adverbium Cho. 741 *φήμης ὑφ' ἧς ἤγγειλαν οἱ ξένοι τορῶς.* Nondum invaluit apud Aeschylum attractio in ejusmodi enuntiationibus, quae et subjectum et objectum nomine comprehensum habent, ut Trach. v. 680 (*ὧν ὁ θήρ με προὐδιδάξατο, παρῆκα θεσμῶν οὐδέν.*), nondum in iis quae dativum commodi continent, ut Eur. Jon. 1469 *τῆς ἡδονῆς τῆσδ' ἧς ἔδωχ' ὑμῖν ἐγώ.*

Haec habui de attractionis usu Aeschyleo quae dicenda existimarem.

Index libelli.

Caput I.

De locis Aeschyli in quibus est attractio.

§ 1. De attributivo genere enuntiationum rell. attractarum.
§ 2. De substantivo genere enuntiationum rell. attractarum.

Caput II.

De enuntiationibus rell. in quibus non est attractio.

§ 3. De locis in quibus genetivus pronominis rel. perperam per attractionem explicatur.
§ 4. De locis quibus attractio conjectura male illata est.
§ 5. De locis in quibus attractio mendosa librorum scriptura continetur.

Caput III.

§ 6. De locis in quibus attractio est omissa.

Caput IV.

§ 7. Attractionis usus qualis apud Aeschylum fuerit.

Index locorum vel explicatorum vel emendatorum.

Aeschyli Agam.	v. 2.	p. 38.
	v. 331.	p. 10sq.
	v. 642.	p. 40.
	v. 812.	p. 4 sq.
	v. 974.	p. 33 sq.
Choeph.	v. 215.	p. 20 sq.
	v. 741.	p. 5 sq.
Eumen.	v. 96.	p. 25 sq.
	v 514.	p. 42.
	v. 574.	p. 14.
	v. 605.	p. 42.
Pers.	v. 43.	p. 39 sq.
	v. 61	p. 39.
	v. 342.	p. 17.
	v. 920.	p. 41.
Prom.	v. 446.	p. 9 sq.
	v. 630.	p. 28 sq.
	v. 963.	p. 11 sq.
	v. 984.	p. 12 sq.
Sept.	v. 310.	p. 21.
	v. 356.	p. 23.
	v. 550.	p. 14 sq.
	v. 553.	p. 40.
	v.1018.	p. 38.
Suppl.	v. 265.	p. 40.
	v. 599.	p. 17 sq.
Aristoph. Eq.	v. 873.	p. 22.
	v. 876.	p. 22.
Sophocl. Oed. Col.	v. 778.	p. 12 sq.
Oed. R.	v. 788.	p. 27.
Trach.	v. 399.	p. 34.
	v.1194.	p. 13.

Theses.

I. Priusquam metaphysica cognitione sit percepta, historiam philosophiae recentioris cum fructu tractari posse nego.

II. Philosophiam medii aevi qui contemnunt, parum cognoverunt.

III. Argumentum ontologicum et cosmologicum, quod dicitur, a Kantio prorsus irritum factum esse nego.

IV. Parum considerate Heffter Graecis jus gentium ignotum fuisse contendit.

V. Injuria Brunnius (hist. artif. II, 155) Socratem pictorem fuisse negavit.

VI. In vasculo Catanensi (D'Hancarville ant. Etr. Grecq. et Rom. T. III pl. 88; Wieseler ant. scen. tab. IX, 9) Herculem non cum cercopibus, sed cum pygmaeis repraesentatum dico.

VII. In parte superiore tabulae, quae in villa Albana servatur, (Zoëga bassiv. tav. 70. Millin gal. myth. 124, 464) Herculem cum satyris et amazonibus, in inferiore eundem zonam Hippolytae reportantem exhibitum esse contendo.

VIII. Plauti Amphitruo non ad fabulae Rhinthonicae similitudinem composita est.

IX. Poetae qui inde a Propertio floruerunt in formandis genetivis singularis substantivorum in **ius** desinentium metricas et prosodiacas rationes secuti sunt. Unus Persius veterem consuetudinem amplexus forma i monosyllaba constanter usus est.

X. Verba Lysiae or. 6, 38 sic scribenda duco:
οὐδὲν προσήκει Ἀνδοκίδῃ τῶν συνθηκῶν, οὔτε μὰ τὸν Δία, τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους, ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε, οὔτε τ ῶ ν πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει, ἃς οἱ ἐκ Πειραιῶς.

XI. Eur. Alc. v. 500 legendum censeo
σκληρὸς γὰρ ἀεὶ καὶ πρὸς αἰπὺς ἔρχεται.

XII. Her. I, 78 *Τελμησσέες μὲν νυν ταῦτα ὑπεκρίναντο Κροίσῳ ἤδη ἡλωκότι οὐδέν κω εἰδότες τῶν ἦν περὶ Σάρδεις τε καὶ αὐτὸν Κροῖσον* verbum substantivum *ἦν* eiciendum duco.



Vita.

~~Paulus Riccardus~~ Foerster a. d. VI. non. Mart. anni h. s. XLIII Gorlitii natus sum Carolo patre, Augusta matre e gente Weideriana: quibus ut aliquantulum gratiae referre possim deus faxit optumus maxumus. Fidem profiteor evangelicam. Elementa postquam in ludo publico didici, puer decem annorum a patre ad gymnasium, quod patriae urbi decori est, deductus ab Antonio rectore venerabili ante hos quinque annos defuncto, qui idem patrem receperat, in quintum ordinem receptus sum: qui quum uno anno post a munere per decem lustra cum gloria administrato se abdicasset, Schuettium habuit successorem humanissimum, cujus auspiciis etiamnunc gymnasium floret. Is pariter atque reliqui praeceptores quot quantaque in me amoris gratiaeque testimonia contulerint, semper menti meae infixa haerebit recordatio. Mense Aprili anni h. s. LXI maturitatis testimonium nactus Jenensem petii academiam, philologicis et theologicis rebus operam daturus. Inter cives academicos receptus a Guilielmo Leistio prof. jur. p. o., penes quem tum fasces erant, et nomen apud Schleidenum philosophorum decanum professus per unum semestre audivi scholas philologicas Nipperdei, Schleicheri, Maur. Schmidtii, philosophicas Cunonis Fischeri, archaeologicas Klopffleischii, historicas Erdmannsdoerferi, theologicas Hilgenfeldii neque seminarii philologici exercitationibus, quas Goettlingius cum Nipperdejo regebat, non interfui. Quorum optime de me meritus est M. Schmidtius quum non solum ipsius domestica consuetudine frui liberalissime mihi

concessit, sed etiam praeclara institutione amoris quo philologica studia amplectebar confirmator atque amplificator exstitit. Sub hiemem ejusdem anni Vratislaviam me contuli atque a Carolo Semischio tunc fasces tenente civium academicorum numero adscriptus apud Haasium philosophorum ordinis decanum spectabilem rite nomen dedi. Per novem semestria frequentavi scholas Bernaysii, Branissii, Elvenichii, Haasii, Hertzii, Junkmanni, Luebberti, Roepellii, Rossbachii, Stenzleri, Succovii, Westphalii et theologorum Hahnii, Raebigeri, Semischii. Primo semestri particeps fui etiam exercitationum philologicarum, quas moderabatur Westphalius, eoque quod sequebatur semestri mihi contigit, ut ab Haasio et Rossbachio in seminarium philologicum reciperer, cujus amplius septem semestria sodalis fui summa cum voluptate et utilitate. Eodem tempore intravi et in societatem archaeologicam rectam illam a Rossbachio, qui me vel musei archaelogici custodem fecit, et in societatem Latinam Haasii auspiciis florentem.

Jam studiorum cursum peractum respicienti mihi ultro se offert fortiusque me movet, quam ut reprimere possim, memoria benivolentiae, qua semper me philosophorum ordinis professores prosecuti sunt. Quibus effari non queo quantam debeam gratiam quum omnibus, tum Branissio, qui oratione et suavi et grandi tantam philosophiae dignitatem proposuit, ut nunquam me eam derelicturum esse profitear; Stenzlero qui auctor mihi fuit ne scientiae, quae est hujus saeculi, grammaticae comparativae inventa neglegerem; Hertzio, qui ita me instituit, ut e literarum monumentis fructum non solum utilem, sed etiam jucundum perciperem; Rossbachio qui archaeologiae campo latissimo patefacto docuit, qua via ac ratione artis opera ut literarum monumenta explicanda atque aestimanda essent; Bernaysio, qui mihi vel in literarum loca recondita quidem illa, sed frugibus facile colligendis locupletissima dux fuit paratissimus. Praeter ceteros autem Fr. Haasius talem semper se praestitit, ut eum amore sanctissimo vel parentis loco non colere non possim: qui non solum ad literarum opera optimum patefecit aditum custodis in bibliotheca studiosorum munere in me collato, sed etiam cotidiana fere consuetudine, quae est suavissima, dignum me habuit, afflictum saepenumero erexit, consiliis adjuvit saluberrimis, institutione egregia ad studia incitavit et gratissima et utilissima.

His omnibus melius de me meritis quam ut unquam parem

referre possim gratiam, semper me deditum fore lubentissime professus has literarum primitias, quae si ad felicem perductae sunt eventum, eorum debeo benivolentiae, sacras esse volui.

Excepit hos nuperrime Schoenbornius v. cl., cujus insigni mihi contigit liberalitate, ut senatus hujus urbis gravissimus praeceptoris munus mihi traderet in gymnasio celeberrimo Magdalenaeo, quod consiliis eorum, quorum virtus ac sollertia jam spectata et probata est, adjutus mox carissimum habere coepi.
